

وما كان منها أكثر بعدها كان أقل لزمان ظهوره
 وأكثر لزمان غبوريته غير أن دورها جميعاً ما
 يغيب منها وما لا يغيب في زمان واحد وعلى مواراة
 لا يغادر بعضها بعضاً كان الذي بدبرها كرة
 واحدة فباضطرار أن تكون تلك النقطة في أحد قطبي
 الكرة، فهذا واضح ما استدلوا به على أن المساء
 على مثال الكرة ودورها كدور الكرة
 وبعد ذلك على كانت السماء مسطحة عليه ما
 يقول بعض الناس لما كان يجمد أن يكون بعد
 دواديي السماء منا عليه قدس واحد بل كان
 يجمد أن يكون أقرب مواضع السماء منا مما
 كان محاذياً لرووسنا وأما ما جاور ذلك
 يلاً نواحي الأفاق فكثيراً بعد وكان يجمد أن
 يجري الشمس والقمر وساير الكواكب عند طلوعها
 في المشرق صغاراً خفية لبعدها من أبصارنا
 ثم لا ثرال تعظم تحسى تقرها يلاً وسط السماء
 لأنها تقرب من أبصارنا ثم كذلك أيضاً
 تصغر في أحجامها يلاً الغروب فتنقص قليلاً
 قليلاً يلاً أن تخفي عن العين ثم تتمحل
 ولسننا

ابطاء كانها ثابتة ملائمة في بسيط كرة تدورها
 جمعها دورا واحدا هـ
 وأوضح ما استدلوا به وثبت في أوكارهم ان هـ
 السماء كهبة الكرة ما يرى من دور
 الكواكب التي هي ظاهرة ابدا فوق الارض في
 الاقاليم الشمالية مثل الجدي والفرقدان وبنات
 فعش وما قرب من هذه الكواكب فانها
 تدور في دوائر موافر بعضها لبعض كانها جمعا
 تدور حول نقطة واحدة فـما كان منها اقرب
 الى تلك النقطة فـما دور في دائرة صغرى وترى
 حركته بطءا وما كان منها اكثـر بعدا من
 تلك النقطة فـما دور في دائرة اكبر من
 دائرة الكوكب الاقرب وترى حركته اسرع من
 حركته على قدر عظم دائرة وبعدة من تلك
 النقطة الى ان ينتهي البعد من ذلك النقطة
 الى الكواكب التي تغيب تحت الارض ما كان من
 الكواكب التي تغيب اقرب الى تلك النقطة كان
 مكنته على الارض الى ان تغيب كثـرا ومكنته
 في الغيبوبة تحت الارض الى ان يطلع قليلا ،
 وما

وبين تاريخ الاسكندر وتاريخ بردجرد قصع مائة واثنان
وأربعون سنة من هي الروم وما يتنا وتسعة وخمسون يوماً
وبين تاريخ الهجرة وتاريخ بردجرد من الايام ثلاثة الف
وسقاية واربعة وعشرون يوماً

فاول هذه التواریخ مختلاً نصر ثم قاریخ فیلیغوفوس
ثم قاریخ الاسکندر ثم قاریخ الهجرة ثم قاریخ بردجرد

الفصل الثاني

فإن السماء على مثال الكورة ودورها يجمع
ما فيها من الكواكب كدور الكورة،

انه لا اختلاف بين العلماء في ان السماء هي مثال الكورة
وأنها تدور يجمع ما فيها من الكواكب كدور
الكرة علي قطبيين ثابتين غير متراكبين احداهما في
ناحية الشمال والآخر في ناحية الجنوب ،

والدليل على ذلك ان الكواكب جميعاً تبدوا من المشرق
فترتفع قليلاً قبلها علي قرقيب واحد في حركاتها ومقادير
اجرامها وبعد بعضها من بعض لان تتوسط السماء
ثم تنحدر هابطة نحو المغرب على ذلك القرقيب والنظام
وتري حركاتها في اسعدادات متوازيات لا تختلف بسرعة ولا
أبطاء

يُقْرَأُ جَمِيلَةً عَدَّةً أَيَّامَ السَّنَةِ وَأَوَّلَ يَوْمٍ مِّنَ السَّنَةِ هَذِهِ
هُوَ الْيَوْمُ التِّسْعَةُ وَالْعَشْرُونُ مِنْ أَبْرَيلِهِ

التواریخ

قارىءُهُمْ مِنْ أَوْلَى الْمَسَاجِدِ فِي الْمَدِينَةِ وَكَانَ اولَهَا
صَلَوةُ اللَّهِ عَلَيْهِ وَسَلَّمَ مِنْ مَكَّةَ يَوْمَ النُّجُومِ ٥

قاریخ الغرس من اول السنة التي ملك فيها يزجره
بن شہریار بن کسری وكان اولها يوم الثلاثاء
قاریخ الروم والسردانین من اول سی الاسکندر وكان
اولها يوم الاثنين والاسکندر هو ذی القرین ه

قاريئن القبط في كتاب المخططي من اول السنة الي
ملك مختنصر وكان اولها يوم العزاء ، ولما قارىء
القبط في مربع بطليموس فمن اول سفي فيليفوس وكان
اولها يوم الاحد ٥

والذى جبن قاربىخ بختنصر وقاربىخ يردجرن الف وثلاثة أيام
وتوسع وسبعين سنة فارسية وثلاثة أشهر ٥
والذى بين قاربىخ قيلپقوس وقاربىخ يردجرن تسعة مائة
وخمس وخمسون سنة وثلاثة أشهر ٥

ویتن

مايوس حزيران يونيه قمر يوليوس اب أغسطس
 ايلول سبتمبر تشرين الاول أكتوبر تشرين
 الآخر نوفمبر كانون الاول ديسمبر

وما شهور الغرس فهي فروردین ماه اول يوم منه
 النوروز اردیبهشت ماه خرداد ماه تیر ماه مرداد
 ماه شهریور ماه مهر ماه الیوم السادس عشر منه
 المهرجان ایان ماه الیوم السادس والعشرون
 منه اول الايام العشرة التي تسمی الفروردیجان
 خمسة منها تام ایان ماه وخمسة لا تعدد في
 الشهور تسمی الاندرجاهات اذرماه اول یوم
 منه رکوب الكوچع دی ماه بهمن ماه
 اسفندارمه ماه وعدد كل شهر منها
 تلثون ويتحقق بين ایان ماه وادر ماه خمسة
 ايام لا تعدد في الشهور فتكون ايام السنة ثلاثة عشر
 وخمسة وستين يوماً

وتسمی الغرس ايام الشهور بهذه الاسماء وهي هرمس
 بهمن اردیبهشت شهریور اسفندارمه خرداد مرداد دیباردم
 اذر ایان خور ماه قیصر جوش دیجهیر مهر
 سروش مرش فروردین بهرام رام باد دیبدین دین ارد
 اشتاد

من وقت غروب الشمس من أجل أنها تغدو أيام الشهر من
 وقت رؤية الهلال ورؤيتها الهلال تكون عند غروب الشمس ،
 فاما عند الروم وغيرهم مدن لا يستعمل في الشهور رؤية
 الأهلة فان النهار قبل الليل وانتداب كل يوم بليلته من
 وقت طلوع الشمس يلي طلوعها من الغدو
 فاما شهور السريانيين فهي تشرين الاول وهي احد
 وتلثون يوماً تشرين الثاني تلثون يوماً كانون الاول
 احد وتلثون يوماً كانون الثاني احد وتلثون يوماً شباط
 يعد تلث سنتين ثالثة وعشرين يوماً وفي السنة الرابعة يعد
 تسعة وعشرون يوماً وتسمى تلك السنة كبيسة بسبب
 زيارة هذا اليوم ادار احد وتلثون يوماً نيسان تلثون
 يوماً ايار احد وتلثون يوماً حزيران تلثون يوماً تموز
 احد وتلثون يوماً اب احد وتلثون يوماً ايلول تلثون
 يوماً ، فت تكون السنة ملائمة خمسة وستين يوماً وربع يوم
 وترى في كل اربعة سنتين يوماً واحداً فت تكون بالحقيقة
 ثلاثة وستة وستين يوماً

٥

فاما شهور الروم فانها موافقة في عدد الايام لشهور
 السريانيين واول شهور السنة عندهم ينواريوس وهو كانون
 الثاني شباط فبرايريوس اذار مارطيوس نيسان ابريليوس ايار
 مايوس

وتكون ايام السنة ثلاثة أيام واربعة وخمسين يوماً بالحساب المطلق وهي الجليل فاما على التدقق فان عدد هذه الايام للسنة العربية تزيد في كل ثلاثين سنة احده عشر يوماً فتكون حصة السنة الواحدة من ذلك خمساً وسدس يوماً فتصير ايام السنة بالحقيقة ثلاثة أيام وسدس يوماً وخمسين يوماً وخمس وسدس يوم والسنة التي ينجز فيها هذا الكسر تكون شهورها سبعة أيام وخمسة ناقصة $\frac{5}{7}$

وهذا العدد لايام الشهور هي بالحساب المصحح من اجتماع الشمس والقمر يسبحان الوسط فاما بروبة الهلال فاده يختلف بزيادة ان يقصان وهي ان تكون شهوراً متولدة قامة وشهوراً متولدة ناقصة ولا يتتفق في كل وقت ان يكون اول الشهر بالحساب وبالروبة يوماً واحداً الا انها يتتساويان على طول الرمان $\frac{5}{7}$
وايام العرب التي تقع بها الشهور هي الايام السبعة التي اولها يوم الاحمد استداؤه من عند مغيب الشمس في يوم السبت واحدة وقت شروعها في يوم الاحمد وكذلك سائر الايام ، وانما جعلت العرب ابعاداً كل يوم بلبلة من

بِسْمِ اللَّهِ الرَّحْمَنِ الرَّحِيمِ ۝

ابتدأ كتاب مُجَدِّدُ بْنِ كَثِيرٍ الفَغَاغِيِّ
في أصول عِلْمِ الْفَجُومِ *

الفصل الأول

فِي شَنِي الْعَرَبِ وَالْعِجمِ وَاسْمَاءِ شَهُورِهِ وَأَيَامِهِ
وَالْخِتْلَافُ مَا بَيْنَ بَعْضِهَا وَبَعْضِ ،

أَنْ عَدَدَ شَهُورِ السَّنَةِ لِلْعَرَبِ وَالْعِجمِ اثْنَا
عَشْرَ شَهْرًا ، أَمَّا شَهُورُ الْعَرَبِ فَهُوَ الْمُحْرَمُ
صَفَرُ شَهْرٍ رَبِيعُ الْأَوَّلِ شَهْرٍ رَبِيعُ الْآخِرِ جَادِيُّ
الْأَوَّلِ جَادِيُّ الْآخِرِ رَجَبٌ شَعْبَانٌ شَهْرُ رَمَضَانٍ
شَوَّالٌ ذِي الْقَعْدَةِ ذِي الْحِجَّةِ ، وَهِيَ شَهْرٌ تِلْكُونُ يَوْمًا
وَشَهْرٌ تِسْعَةَ وَعَشْرَوْنَ يَوْمًا فَيَكُونُ سَيْنَةً أَشْهُرٍ
مِنَ السَّنَةِ تِسْمَةً وَسَيْنَةً أَشْهُرٍ نَاقِصَةً
وَتِكُونُ

كِتَابٌ


مُحَمَّدٌ بْنُ كَثِيرٍ الْفَرَغَانِيُّ
فِي الْحَرَكَاتِ السَّمَاوِيَّةِ
وَجَوَامِعِ عَلْمِ الْنَّجُومِ *



MUHAMMEDIS ALFERGANI
ELEMENTA
ASTRONOMICA.

CAPUT I.

*De annis Arabum & Barbarorum; denominibus
mensium & dierum; eorumque inter se se
discrepancia.*



Rabes & Barbari numerant menses anni duodecim. ARABVM quidem menses hi sunt, 1 Muharram; 2 Safer; 3 Rabia prior; 4 Rabia posterior; 5 Giumâda prior; 6 Giumâda posterior; 7 Regeb; 8 Xabân; 9 Ramedân; 10 Xavâl; 11 Dulcâda; 12 Dulhâgia. Qui menses constant alternatim diebus tricenis, & undetricenis. ita ut ex iisdem mensibus sex integri sive pleni sint; sex reliqui mutili sive cavi:
A annusque

annusque dies obtineat CCCLIV, juxta calculum
absolutum sive rotundum; qui & vulgatior. Sed
juxta subtilius ratiocinium, hæc anni Arabici
quantitas, per tricenos annos, excrescit diebus
undecim: de quibus anno cuique cedit portio $\frac{1}{3}$
& $\frac{1}{2}$ dici. Atque ita annus præcisè habet dies
CCCLIV, cum $\frac{1}{3}$ & $\frac{1}{2}$ diei unius: & annus ille, quo
hæc fractio, seu hæc partes diem integrum consti-
tuunt, menses sibi vindicat septem plenos, &
quinque cavos.

Hic autem numerus diebus mensium congruit,
subductâ ratione ad Solis & Lunæ congressum,
juxta medium utriusque motum. Sed numerus
à primo nascentis Lunæ splendore initus, excessu
vel defectu variat, quo minus consequëtes menses
alternis sint pleni & cavi. Non enim semper con-
tingit, initium mensis, ratione & calculi & primæ
phaseos, incidere in eundem diem: neq; hoc fit,
nisi tractu temporis ambo inter se æquentur.

Dies Arabum, quibus dinumerantur menses,
sunt dies septem: quorum primus est dies Solis,
initium capiens ab occasu Solis die Sabbati; fi-
nem verò ab ejusdem occasu, die Solis. quo mo-
do etiam reliqui sese dies habent. Auspicantur
enim Arabes diem quemque cum sua nocte, id
supradictus A est

est civilem, ab eo momento, quo Sol occidit: propter ea quod dies cujusq; mensis apud illos ineunt a prima Lunæ visione; ea autem contingit circa occasum Solis. Sed apud Romanos, & alios, qui non instituunt suos menses ad Lunæ phasim, dies nocti præmittitur, & dies quisque civilis incipit ab exortu Solis, & ad exortum ejus sequentem finitur.

Menses verò SYRORVM sunt, 1 *Tixrym prior*, constans diebus xxxi. 2 *Tixrym posterior*, dierum xxx. 3 *Canon prior*, dierum xxxi. 4 *Canon posterior*, dierum itidem xxxi. 5 *Xubât*, habens tribus annis dies xxviii; at quarto anno dies xxix: qui annus, ob diei hujus auctarium, embolimæus seu intercalaris dicitur. 6 *Adâr*, continens dies xxxi. 7 *Nisân*, dies xxx. 8 *Eijâr*, dies xxxi. 9 *Hazirân*, dies xxx. 10 *Tamûz*, dies xxxi. 11 *Ab*, dies xxxi. 12 *Eilûl*, dies xxx. Itaque anni dies colliguntur CCCLXV; quartusque annus, uno auctus die, præcisè complectitur dies CCCLXVI.

Menses ROMANORVM numero dierum conveniunt cum mensibus Syrorum. Et quidem primus illorum mensis *Januarius*, est horum Canon posterior; ita convenient, 2 *Februarius*, & *Xubât*; 3 *Martius*, & *Adâr*; 4 *Aprilis*, & *Nisân*; 5 *Majus*,
A 2 & *Eijâr*;

& Eijâr; 6 Iunius, & Hazirân; 7 Iulius, & Tamûz;
8 Augustus, & Ab; 9 September, & Eilûl; 10 October,
& Tixryn prior; 11 November, & Tixryn posterior;
12 December, & Canon prior.

Menses P E R S A R V M hi sunt, 1 *Fervardynma*; cujus prima dies *Neurûz* dicitur. 2 *Ardabehishtma*; 3 *Chordâdma*; 4 *Tyrma*; 5 *Mordâdma*; 6 *Xahryrma*; 7 *Mibrma*; hujus dies XVI *Mihriân* dicitur. 8 *Abânma*; cujus dies XXVI primus est illorum decem, qui vocantur *FERVARDI-*
GIÂN: ex iis quinque compleat mensim; quinque reliqui adjiciuntur extra mensium ordinem, dicti *ANDERGIAHÂT*. 9 *Adurma*; cujus primus dies celebratur equitatu *KEUSEGIS*. 10 *Deima*; 11 *Bahmenma*; 12 *Asfendarmedma*. Et quidem singulorum mensium dies sunt numero triginta. Sed inter *Abânma* & *Adurma* inseruntur dies quinque: ita ut conflentur anni dies *CCCLXV*.

Singulorum autem mensium diebus hæc indita fuere à Persis nomina, 1 *Hormûz*; 2 *Bahmen*; 3 *Ardabeisht*; 4 *Xahryr*; 5 *Asfendarmed*; 6 *Chordâd*; 7 *Mordâd*; 8 *Deibadur*; 9 *Adur*; 10 *Abân*; 11 *Chaur*; 12 *Mâ*; 13 *Tyr*; 14 *Giûs*; 15 *Deibamîhr*; 16 *Mibr*; 17 *Surûsh*; 18 *Resh*; 19 *Fervardyn*; 20 *Bahrâm*; 21 *Râm*; 22 *Bâd*; 23 *Deibadyn*; 24 *Dyn*; 25 *Ard*; 26 *Ixtâd*;

26 *Ixtâd*; 27 *Asmân*; 28 *Zamiâd*; 29 *Marasfend*;
 30 *Anirân*. Dies verò *ANDERGIAHÂT*, seu
 appendices ita vocantur: 1 *Ahnûdgia*; 2 *Axnudgia*;
 3 *Asfendmedgia*; 4 *Ochxutergia*; 5 *Vaheshtgia*.

Menses denique *ÆGYPTIORVM* hi sunt:
 1 *Thoth*; 2 *Paophis*; 3 *Athyr*; 4 *Choiac*; 5 *Tybi*;
 6 *Mechir*; 7 *Phamenoth*; 8 *Pharmuthi*; 9 *Pachon*;
 10 *Payni*; 11 *Epiphi*; 12 *Mesori*. Hisce adjiciuntur quinque dies residui, dicti appendices, & *Ægyptiis epagomenæ*. menses enim singuli constant xxx diebus: annus autem comprehendet dies *CCCLXV*; totidem, quot habet annus Persarum.

Olim quidem principia horū mensium respondebant initii mensium Persicorum: ita ut principium mensis *Thoth* idem esset cum initio mensis *Deima*; & porrò mensis quivis alter cum altero: donec anni *Ægyptiaci* finis conveniret cum fine mensis *Adur*. quod etiam obtinet in tabulis, ad tempus illud constructis. At verò menses *Ægyptiaci*, qui apud *Ægyptios* hodie in usu sunt, aliter procedunt; illi enim, imitati Romanos ac *Syros*, magnitudinem anni augent diei quadrante. Quamobrem etiam illorum menses Persicis dissimiles sunt: at Romanis atque *Syriacis* con-

gruunt, in explendo dierum anni numero. Primus autem apud eos anni dies, respondet diei xxix mensis Ab.

Æra, sive Epochæ.

AERA Arabum dicitur à principio ejus anni, quo Muhammed, relictâ Meccâ, cōmigravit Medînam: eratq; istius anni initium feria quinta.

Æra Persarum petitur ab initio illius anni, quo imperare cœpit Iezdegirdus, fil. Sjahriâri fil. Cosræ; eratque istius anni principium feria tertia.

Romani, & Syri, æram deducunt ab initio annorum Alexandri, dicti bicornis; qui quidem dies fuit feria secunda.

Ægyptiorum epocha, usurpata in magno Ptolemaei opere, subducitur à principio ejus anni, quo regnare cœpit Nabonassarus: quod incidebat in feriam quartam. at verò æra Ægyptiaca, in Ptolemaei tabulis expressa, procedit ab initio annorum Philippi: qui dies fuit feria prima.

Intervallum inter epocham Nabonassari, & epocham Iezdegirdi, constat annis Persicis 1379, & 3 mensibus.

Epocha Philippi distat ab epocha Iezdegirdi annis 955, & 3 mensibus.

Inter

Inter epocham verò Alexandrinam & Iesdegir-dicam, sunt anni Romani 942, & 259 dies.

Denique epocha Alhigræ, id est, migrationis Muhammedicæ, ab eadem Iezdegirdis epocha differt diebus 3624.

Harum epocharum omnium prima est epocha Nabonassari; secunda Philippi; tertia Alexandri-na; quarta Alhigræ; ultima Iezdegirdica.

C A P. II.

De cœli rotunditate; ejusque, & omnium siderum circulari motu.

HAUD controversia inter sapientes est, quin cœlum figurâ sit sphæricâ, & cum omnibus stellis convertatur circulari motu, super duobus polis, fixis ac immotis: quorum alter in plaga boreali consistit, alter in australi.

Hoc autem ex eo demonstratur, quod stellæ omnes, ab oriente emersæ, paulatim ascendunt, unum servantes tenorem in suis motibus, magnitudinibus, atque intervallis; donec attingant culmen cœli, indeque rursus declives ferantur in occasum, eodem modo & ordine. Quos qui-dem motus peragere observantur in circulis pa-rallelis, absque ulla discrepantia in velocitate, aut

mora:

mora: non secus, ac si ipsæ infixæ sint in superficie alicujus sphæræ, quæ uno motu eas circumagat simul omnes.

Rotunditatis quoq; cœli evidens maximè indicium, firmumque argumentum præbent conversiones illorum siderum, quæ in tractibus borealibus perpetuò supra terram appârent. uti sunt Algiudda, (*quæ est extima in cœda Ursæ minoris;*) Alfarcateín, (*ita appellantur lucidiores duæ stellæ ejusdem asterismi;*) Benât naäx, (*quæ sunt tres stellæ in cœda majoris Ursæ;*) & quæcunque aliæ hisce propinquæ fuerint. Eæ namque stellæ ambiunt circulis æquè ab invicem dislitis: ut quæ vertuntur omnes circa idem punctum. Et quæ ex iis puncto huic est vicinior, minorem conficit circulum; motusq; ejus appâret lentior. Quæ verò longius recedit, circulum describit, qui vicinoris circulo major est; & in quo motus cernitur velocior, pro ipsius magnitudine, & distantia ab illo puncto. donec intervallum hoc pertingat ad eas stellas, quæ excipiuntur super terram. Ita quidem, ut quæ harum propiores sunt eidem puncto, longiorem moram trahant supra terram, antequam occidunt; & post occasum, breviori tempore lateant sub terra, antequam ad ortum redeant.

Quæ

Quæ verò longius ab eo puncto distant, minori tempore appareant, & majori tempore occultentur. Èa tamen lege, ut stellarum omnium, quæ occidunt & non occidunt, conversio peragatur eodem tempore, & tali congruentia, ut haud quidquam eæ inter se se discepent; non aliter ac si una sit sphæra, quæ circumvehat simul omnes. Ac proinde necesse est punctum illud esse alterum sphæræ polum. Hoc quidem manifestissimum est, quod nos certiores reddit de cœli rotunditate, ejusque circulari motu.

Præterea si cœlum foret planum, ita ut homines quidam ferunt, non sequeretur omnes cœli tractus à nobis æquali abesse intervallo; sed necesse foret, viciniora nobis esse ea cœli loca, quæ capitibus nostris imminerent; remotiora vero, quæ indè vergerent horizontem versus. Atq; ita Sol & Luna cæteræque stellæ circa ortum suum in oriente apparet exiguæ & obscuræ; propter distantiam à nostro conspectu: deinde magis magisq; viderentur augeri, quo magis accederent ad cœli medium; utpote visui nostro propiores redditæ: hinc descendentes versus occasum, rursus decrescere & paulatim diminui viderentur; donec obtutum effugientes evanescerent. Quo-

rum quidē omnium observamus nihil: at siderum magnitudines circa ortum suum , medii cœli transitum & occasum eodem fœse modo habent.

Quin immo magnitudines eorum in exortu & occasu majores nobis fœse exhibent, quām in medio cœlo. Ita videmus Solem occidentem, quando infima corporis ejus pars attingit horizontem , pedetentim demergi, & velut ab horizonte diffecari: donec suprema quoque ejus pars abscondatur. ita etiam se Luna habet. Non vero propterea nobis major cernitur in oriente , vel occidente, quod ibidem proprius à nobis abest, quām in cœli medio ; sed quod vapores, qui à terra continuò ascendunt, inter visum nostrum & horizontem positi, majorem exhibent. præser-tim, cum ii multi & humidi in aëre objiciuntur, quod hyberno tempore, & post pluvias accidit. & tunc quidem Sol & Luna sub ortum & occasum videntur grandiores. Ita si quis rem quam-piam collocet in limpidæ aquæ fundo, majorem certè, quām earevera sit, conspiciet: & quo spis-sior aqua, & altior fuerit, eo res in fundo major videbitur. Hæc igitur causa est, quæ stellas, pro-pe horizontem sitas, ampliores reddit.

C A P. III.

De figura sphaerica terra & simul aquæ.

HAUD secus inter sapientes convenit, terram unam cum aqua globosam esse. Ejus rei indicium faciunt Sol & Luna, stellæque reliquæ: quippe quæ non eodem tempore quibuslibet terræ incolis oriuntur & occiduntur. Nam earum ortum plagæ orientales prius intuentur, quam occidentales; earum itidem occasus ad orientem versus prius conspicitur, quam ad occidentem.

Quod quidem apparet manifestius ex iis rebus, quæ in sublimi contingunt; si quidem unius ejusdemque rei tempus diversum cernitur. talis est eclipsis Lunæ, quæ si in duobus observetur locis, juxta orientem & occidentem ab invicem dissitis, & deliquii illius momentum in loco orientali incidat, exempli gratiâ, in horam noctis tertiam, idem momentum in occidentaliori loco horam tertiam antevertet; pro ratione distantiaæ, quæ inter duo illa loca fuerit. horarum verò in priore loco excessus commonstrat Solem ibi prius occidisse, quam in altero.

Similiter quoque, si magnæ alicujus stellæ cursus,

cursus, ejusque momentum notetur in duobus locis, ab invicem remotis eo modo, quo diximus, major comperietur horarum numerus in orientali loco, quam in occidentali. Atq; hæc temporum differentia in toto orbe, orientem versus & occidentem habitato, exactè respondet locorum intervallis.

Idem observabitur in iis locis, quæ distant juxta aquilonem & austrum: nam si quis in terra progrediatur ab austro ad boream, animadvertis ab hac quidem parte sibi stellas quasdam perpetuò apparere, solitas antea occidere; ab illa autem parte, nempe austrina, pari ratione quasdam semper occultari, quæ antea ortæ fuerant.

Quæ quidem demonstrant terræ superficiem orbicularē esse, terramque sphæræ similem. Si autem terra plana foret, haud quidquam eorum contingere, quæ exposita fuerunt. exorierentur enim sidera uno ubique tempore: neque iter facienti inter septentrionem & austrum, stellarum semper apparentium ulla unquam abscondetur; aut perpetuò latentium aliqua se conspicui offerret.

C A P.

B

C A P. IV.

Quod terræ sphaera sita est in medio sphaera cœli; quodque ejus magnitudo ad universi cœli complexum puncti instar obtinet.

Erram in medio cœli consistere, ex eo ipso liquet, quod suprà retulimus de siderum distantia, & quomodo cujusq; stellæ moles in omnibus cœli plagis æqualis appâreat. Hoc enim ostendit, ex omni parte æquari terræ & cœli intervallum, & necessariò terram esse sitam medio cœli loco.

Ex evidenteribus ejus rei indiciis hoc est, quod, nisi terra esset in medio, sed ad unam cœli partem propius accederet, quam ad alteram, necesse foret eos, qui incolerent montes ejusmodi loci cœlo vicinioris, nunquam conspicari aliam cœli partem quam dimidio minorem: contrarium verò iis accideret, qui in montibus degrent à cœlo remotioribus. At verò hoc ipsum sensibus repugnat: ubiq; enim terrarum omnibus sex apparent cœli signa, & totidem oculuntur. Quod etiam argumento est terram, propter exiguitatē suam, puncti instar esse respectu cœli. Si enim terra, ad cœlum collata, insignem ali-

quam magnitudinem obtineret, nullus eorum, qui in ea degunt, aliam cœli portionem unquam conspicetet, quam dimidio minorem.

Quamobrem, cum terra cœli medium occupeat, plana superficies, quæ cœlum bifariam dividit, transibit per centrum terræ; utpote quod idem est cum centro cœli. cumq; omnibus è convexo terræ appareat cœli dimidium, absque ullo sensibili discrimine, equidem hoc arguit planum illud, quo visus super terrę gibbo diffunditur usq; extrema cœli, nullà sensibili quantitate dissidere ab eo plano, quod per terræ centrum extendi intelligitur: neque spatium, quod est inter centrum terræ ejusque superficiem, ullam notabilem habere rationem ad quantitatem cœli: ac proinde universum terræ globum instar puncti esse, si comparetur ad globum cœli.

Docebimus quoque postea, ubi de magnitudine stellarum agemus, stellarum fixarum, quæ quidem in cœlo distinctè cernuntur, omnium minimam terrâ majorem esse: at verò stellarum minima in cœlo videtur esse puncto similis: unde consequitur, terræ moli, quam minima stella magnitudine vincit, nullam esse quantitatem perceptibilem respectu cœli.

Constat

Constat itaque per ea, quæ diximus, terram in medio universi velut centrum consistere, ab omni parte circumfusam aëre; quem cœlum undique globosâ formâ ambit: & magnitudinem terræ, cum cœli magnitudine comparatam, se habere præ exiguitate suâ ad modum puncti in circulo.

C A P.

V.

De duobus primariis cœli motibus: quorum alter est motus universalis, ab oriente in occidentem, causa diei & noctis; alter motus stellarum proprius in orbe signifero, ab occidente in orientem.

Primâ cœli & terræ ita priùs definitâ, institutum persequamur describendis iis rebus, quæ de primariis cœli motibus appârent. Dico itaque duos in cœlo observari principales motus: quorum primus totum versat cœlum, facitque noctem & diem. is namque circumagit Solem, & Lunam, omnesque stellas reliquas ab oriente in occidentem, unâ quotidie conversione: & quidem uno eodemque modo, & pari celeritate, circa duos polos fixos; qui dicuntur poli primi motus. Eorum alter, de quo antè diximus, septentrionem respicit; alter oppositus meridiem.

Necesse

Necessè autem est sidera, hoc motu correpta, in circulis ferri parallelis: quorum maximus est æquator diei, & velut medius cingulus primi motus; sphæram cœli dividens in duas æquales partes, & æquali intervallo remotus ab utroque polo.

Æquator verò diei, sive æquinoctialis dicitur, propterea quòd Sole circulum illum transeunte, dies & nox parem quantitatem obtinent per universam terram; prout in sequentibus exponemus.

Motus autem secundus is est, quo Solem & stellas versari cernimus ab occidente in orientem, in partes primo motui contrarias; & quoque super aliis duobus polis, extra polos motus primi. Circulusque maximus, qui ab utroque polo æqualiter distat, & motus secundi cingulus est, circulus signifer sive zodiacus & ecliptica vocatur.

Is quidem designatur à proprio Solis incessu ab occidente in orientem; & distribuitur in duodecim æquales partes, appellatas signa: quorum hæc sunt nomina; Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, Pisces. Unumquodque autem signum dividitur in triginta gradus; ita quidem,

dem, ut totus circulus sit graduum CCC LX; & gradus quilibet sexaginta minutorum.

Quare necesse est circulus signifer æquinoctialis secet in duobus punctis oppositis: & ab eo in utramque plagam, septentrionem & austrum declinet æquali intervallo. sectionis quidem punctum illud, quo Sol ab austriali æquinoctialis parte transit ad septentrionalem, punctum dicitur æquinoctii verni; quod est signi Arietis principium. punctumque alterum, quo Sol à tractu septentrionali transit in australem, appellatur punctum æquinoctii autumnalis; quod est signi Libræ initium. enimvero æquinoctialis circuli respectu sex signa dicuntur septentrionalia, nempe, à principio Arietis ad finem Virginis; sex alia signa australia, scilicet, à principio Libræ ad finem Piscium.

Describitur autem in cœlo circulus tertius, in transversum protensus à septentrione ad meridiem, per polos duorum circulorum præcedentium, qui transpolaris circulus atque colurus vocatur; dividens utrumque circulum, æquatoriem diei & zodiacum in duas æquales partes.

Unde necessariò sequitur zodiacum à coluro intersecari in duobus punctis, quæ ab æquino-

C C^tiali

& tali versus septentrionem & meridiem plurimū declinant. Punctum quidem septentrionale dicitur conversionis æstivæ seu solstitii punctum; estque signi Cancri principium. Punctum verò australe nominatur conversionis hybernæ sive brumæ punctum; estque initium signi Capricorni.

Eiusdem autem circuli transpolaris portio, inter utrumq; punctum tropicum & æquinoctialē comprehensa, mensura est declinationis maximæ, quâ zodiacus ab æquinoctiali deflectit. ea quidem, prout Ptolemæus invenit, est partium 23, & minutorum 51; qualium scil. totus circulus est partium 360. at verò juxta dimensionem, quam probatam vocant, quamque piæ memoriæ Almámon institui jussit, adhibitis ad eam rem viris doctis compluribus, ea declinatio continet gradus 23, & minuta 35.

Ex iis, quæ dicta sunt, jam evidens est, stellas errantes motu proprio ab occasu ferri in ortum, circa zodiaci polos; & simul ipsas ceterasq; stellas omnes motu primo retorqueri ab ortu in occasum. tum quoq; liquet colurum obire & permeare primum mobile: & æquatoris polos, super quibus primus motus peragitur, firmos atque immo-

immotos consistere: signiferi verò polos gyrari motu primo circa polos æquinoctialis, suis tamen locis hærentes in coluro.

C A P. VI.

Describitur habitabilis terræ quadrans; & summatis traditur, qualis accidat in eo cœli conversio, quæq[ue] dierum & noctium varietas.

Hisce quidem ita præmissis, quæ de duobus primariis cœli motibus præmitti necesse fuit, instituamus nunc sermonem de terræ habitationibus, quoad exploratum vel auditum nobis fuit; & de summariis motus cœlestis accidentibus, noctisque & diei varietate, quæ iis locis conveniunt.

Cum itaque globi terrestris & cœlestis unum sit commune centrum, necessariò sequitur terræ sphæram ab æquinoctialis plano bifecari in æqualia; eaque sectione in terræ superficie signari orbem, qui æquinoctiali sit parallelus. Is quidem æquator dicitur, terræ superficiem dividens in duas æquales partes; quarum una polo boreo, altera austriño subjicitur.

Constat autem tractum orbis habitabilem, cuius quidem ad nos pervenit notitia, in hemi-

C 2. sphærio

sphærio contineri boreo ; & quicquid primo orientis & extremo occidentis termino interjacet, haud excedere intervallum duodecim horarum æquinoctialium.

Quod si in terræ superficie concipimus circulum maximum, qui æquatorem ad rectos angulos bifariam secet per extremas orientis & occidentis habitationes, duo illi circuli terræ superficiem necessariò distribuent in quatuor quadrantes. & quidem duorum septentrionalium alter complectetur universum terræ tractum habitabilem; cuius ab oriente ad occidentem longitudo respondeat semissi diurnæ revolutionis : partis verò in eodem quadrante habitatæ, quoad cognoscimus, latitudo ab æquatore eò usque protenditur, ubi polus septentrionalis supra horizontem eminet partibus ferè 66.

Hoc autem loco definiendi nobis sunt circuli duo, horizon & meridianus, cunctis climatis communis.

Horizon quidem circulus est, qui distinguit inter partem cœli supra nos conspicuam, & partem cœli sub terra conditam; polum habens punctum illud, quod capitis vertici insistit. estque unus ex maximis circulis, qui cœlum in duas partes

tes æquales dirimunt; propterea quod terra respectu cœli exiguum modò quantitatem obtinet, quæ sensu percipi nequeat.

Meridianus verò circulus est, qui per polos æquinoctialis, & loci punctum verticale describitur; polum habens in communi sectione æquinoctialis & horizontis, dividensque omnia circumlorum segmenta, qui æquinoctiali paralleli sunt, & supra & infra terram in binas æquales partes.

Ut autem de terræ habitabilis constitutione generatim constet, faciamus ab æquatore initium, qui ad quadrantis habitabilis australem partem primus est latitudinis terminus. Cum igitur æquinoctialis circulus verticibus omnium, qui ad æquatorem degunt, immineat, necesse est ejus polos ibidem horizontibus incumbere, & cœli conversionem ad eosdem horizontes rectè ferri sine ulla obliquitate. sequitur etiam Solem ibidem deflectere æquali utrinq; à vertice spatio in septentrionē & austrum: ita ut æstas & hyems temperiem inibi majorē obtineant præ ceteris anni partibus. ibidē horizon circulos, æquinoctiali parallelos, omnes in æqualia bina segmenta dividit; quippe qui ibi transit per æquinoctialis polos. ideoque quolibet anni die tempus à Solis &

reliquorum siderum exortu usque ad occasum, æquale est tempori ab eorundem occasu ad exortum; ita ut ibi nox atque dies perpetuò invicem æquales sint.

At verò in locis omnibus, quæ ab æquatore spectant in boream, æquinoctialis à puncto verticis spectat in austrum eodem intervallo, quo polus borealis supra horizontē attollitur. Et circulus, æquinoctiali parallelus, qui tantum à polo distat, quantum polus ab horizonte, perpetuò supra terram eminet, cum stellis omnibus, quas intra se complectitur. circulus verò, circa polum australem illi oppositus, semper delitescit cum omnibus, quæ in eo stellæ existunt. Horizon autem solum ex omnibus parallelis æquinoctialeм æqualiter bipartitur; sed inæqualiter parallellos quosq; reliquos. & eorum quidem circulorum, qui æquinoctiali ad septentrionem sunt paralleli, segmenta supra terram extantia, majora sunt subter latentibus. & è contra parallelorum australium segmenta supera sunt minora inferis. quoniam enim polus septentrionalis elevatur & australis deprimitur, circuli quoque septentriонаles assurgunt, & eminet cujusque pars semisse major: circuli verò australes subsidunt, & cujusque

cujusque pars semisse major sub terra conditur. Quanto autem magis polus boreus in climatis attollitur, tanto quoque magis hæc segmentorum differentia augetur; magisq; variant dies aestivi & hyberni. In uno etiam eodemque climate, quanto magis parallelus quisque ab æquinoctiali ad polum vergit, tanto quoque maiore excessu ejusdem paralleli segmentum majus à minore differt.

Ex iis igitur, quæ jam exposita, consequitur, ut quando Sol occupat puncta æquinoctalia, quæ sunt principium Arietis & principium Librae, dies ubique terrarum æquetur nocti: quia Sol tunc per æquinoctialem fertur, quem nullus non horizon in partes duas æquales secat. At versante Sole in signis boreis, necesse est dies excedat noctem, quantoque magis Sol in boream tendit, tanto hunc excessum majorem efficiat: donec ab æquinoctiali summam tandem attingat distantiam, quæ est ad Cancri principium. Tunc enim dies maxima, nox minima existit. Quamdiu vero Sol signa australia permeat, contrario, quam dixi, modo se res habet: dies cedunt noctibus, decremento usq; continuato; donec Sol obtineat initium Capricorni. Tunc enim dies est brevissimus, nox vero

verò longissima. quoniam in binis quibusq; parallelis, perequè ab æquinoctiali remotis in partes oppositas, segmentū unius, supra terram extans, æquale est segmento alterius, sub terra condito: adeò ut dies unius noctem æquet alterius, nox unius alterius diem. ac proinde dies maximus, cum Sol ingreditur Cancrum, maximæ nocti, cùm tenet principium Capricorni, necessariò æqualis redditur, & contra solstitii nox diei brumæ. Et hæc quidem earum rerum summa est, quæ universis terræ habitationibus accident.

C A P. VII.

De partium habitati orbis proprietatibus. deque locis illis, in quibus Sol exortus aliquot mensibus non occidit, similiterq; post occasum non oritur.

Nunc verò enarremus, quid locis illis proprium sit, quæ inter æquatorem & extremum quadrantis habitabilis terminum incoluntur. In illis habitationibus, ubi altitudo poli minor est maximâ zodiaci declinatione, Sol quovis anno bis transit punctum, vertici capitis oppositum: quippe quod ab æquinoctiali minus distat, quam indè declinat principium Cancri. ideoque ab hoc principio utrinque locus est, cuius

cujus declinatio elevationi poli æquatur. quando Sol alterutrum horum locorum occupat, tunc per punctum verticale transit. quamdiu verò Sol in parte septentrionali versatur, inter duo illa zodiaci loca, verticem transgreditur septentrionem versus. Ubi poli elevatio æqualis est zodiaci obliquitati, seu declinationi maxima, ibi Sol contingit verticem quotannis tantum semel, cum tenet principium Cancri.

In cæteris locis, ubi altitudo poli maximam zodiaci declinationem excedit, Sol punctum verticale nunquam attingit: sed perpetuò commoratur in ea parte, quæ indè spectat in meridiem. Et, quanto polus magis attollitur, tanto magis Sol in meridiem deflectit; ortusq; solstitialis longius abest ab ortu brumali, & dies solstitiali diem brumæ majore excessu vincit: donec perveniat ad eā loca, ubi polus supra horizontem tantum eminet, quantum ab ipso polo abest Cancri principium; quod intervallum continet partes 66 cum $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{2}$ partis unius, ibi enim & vertex & polus zodiaci à polo æquinoctialis æqualiter dissident. Quare etiam zodiaci polus conversione diurnâ fertur per punctum verticis, & tropicus æstivus totus semper extat supra horizontem; tropicus verò

hybernus semper sub horizonte latet. Quamobrem Sole tenente primum Cancri gradum, constabit dies 24 horis: & existente Sole in principio Capricorni, nox totidem durabit horas, nullâ interlucente die. Iisdem in locis contingit, quando zodiaci polus occurrit vertici, zodiacum congruere cum horizonte. ita ut principium Arietis consistat in ortu, principium Libræ in occasu; & initium Cancri in puncto horizontis boreo, initium Capricorni in austrino. Sed quamprimum polus zodiaci à vertice recedit, hoc ipso circulo & horizonte invicem per medium secantibus, ortivus zodiaci semicirculus elevatur, occiduus deprimitur. ac proinde unico momento sex simul oriuntur signa, quæ sunt à principio Capricorni ad finem Geminorum; eodemq; modo sex signa reliqua simul occidunt.

Quod si quis nosse desiderat constitutionem ejus tractus, qui, hisce locis succedens, reliquum quadrantis terreni explet; ejusmodi quidem locis proprium est, ut, ubicunque poli altitudo supra horizontem major est tropici æstivi ab ipso polo distantia, ibi portio illa zodiaci, cuius utrinque à principio Cancri versus boream ab æquinoctiali deflexus major est, quam poli à vertice distantia, perpetuò

perpetuò supra terram appareat: similiterq; portio, circa Capricornum opposita, semper latitet. Quam ob causam sit, ut totum æstatis intervalum, quamdiu Sol proprio suo motu partes zodiaci, semper conspicuas, percurrit, unus tantum continuus sit dies; & æquale hyemis spatium una tantum continua nox sit. Ubi quidem poli elevatio est $67\frac{1}{2}$ partium, ibi zodiaci portio, inter medium Geminorum & medium Cancri interjecta, semper eminet supra horizontem; portio verò, quæ est à medio Sagittarii ad medium Capricorni, semper sub horizonte occulitur. Quare ibidem æstate ad mensem integrum continuus est dies, sine ulla nocte; & hyemis totus aliquis mensis unica nox est, diei expers: anni verò menses reliqui habent quoslibet dies cum suis noctibus horarum 24.

Cùm polus eminet gradibus 69 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{2}$, tunc duorum signorum spatium, scil. Geminorum & Cancri, perpetuò apparet: & duorum, scil. Sagittarii & Capricorni spatium semper occultatur. Ac proinde ibidē æstate duo menses continuum efficiunt diem: hyeme verò menses duo continuam faciunt noctem.

Ubi polus attollitur 73. gradibus & semisse, ibi

quicquid est à medio Tauri usque medium Leonis, nunquam occidit; neque de partibus oppositis quicquam oritur. Quapropter tribus æstatis mensibus, continuus ibi dies; & totidem mensibus hyemis, continua ibi nox est.

Si autem poli altitudo partium fuerit $78\frac{1}{2}$, signa Tauri, Geminorum, Cancri, & Leonis semper existunt supra horizontem; & opposita semper sub eo latent. Ideoque quatuor æstivis mensibus tantum dies est sine ulla nocte, quatuorque hibernis sine ulla die nox est.

Ubi poli elevatio est 84 graduum, ibi totus tractus, inter medium Arietis, mediumque Virginis interceptus, semper est conspicuus; & signa opposita perpetuò occultantur. Adeò ut æstate, toto quinq; mensium spatio, dies ibi continetur, noctis expers; & hyeme, totidem mensibus, nox continuetur, sine die.

In commemoratis hisce locis ob diurnam zodiaci conversionem accidit, ut, quando ejus polus meridianum versus austrum secat, principium Arietis existat in ortu, principium verò Libræ in occasu; utque signa septentrionalia terræ imminent, meridionalia subter lateant: & signorum, supra terram extantium, ordo ab oriente versus occiden-

occidentem tunc aliter se habeat, quam quidem in locis habitatatis apparet. Nam quicunque zodiaci gradus, inter Capricornum & Cancrum medii, ibidem oriuntur, inverso modo emergunt, nempe Taurus ante Arietem, & Aries ante Pisces, & hi ante Aquarium: atque ita etiam signa opposita ordine inverso occidunt.

Unus denique locus restat, ubi polus, 90 partibus supra horizontem eminens, incumbit vertici. Ibi quidem æquinoctialis horizonti semper congruit, cœlumque molæ trusatiliſ instar in gyrum vertitur, horizonti respondentem. & cœli hæmisphærium, quod ab æquinoctiali in septentrionem vergit, supra terram perpetuò patet; australē autem sub terra semper conditur. Eapropter Sol, quoad versatur in signis borealibus, extare conspicitur, horizontem ambiens; ejusque summa altitudo, ad quam ab horizonte pertingit, æqualis est declinationi maximæ, qua ab æquinoctiali deflectit. Quamdiu vero signa tenet meridionalia, perpetuò delitescit. adeo quidem, ut totus ibidem annus unicus modo sit dies, cuius pars altera continua sex mensium luce, pars altera nocte æuali constat.

C A P . VIII.

*De Terra dimensione & habitabilium septem
climatuum divisione.*

Errae habitabilis situ exposito, declaranda nobis totius superficie terrestris dimensio; climatumque omnium, quæ ibidem incoluntur, describendus habitus, juxta longitudines suas & latitudines: quarum mensurâ ipsa dividuntur, respectu habito ad orbem cœlestem, & superficie terrestris expansum.

Cùm itaque manifestum sit ex iis, quæ antea dicta sunt, terræ centrum idem esse cum centro ipsius cœli, sequitur terræ quoq; orbem respondere & parallelum esse orbi cœlesti. ita ut nobis inter septentrionem & austrum, juxta meridianam lineam, procedentibus augeatur & minuantur borealis poli elevatio, pro quantitate itineris terra in confecti.

Eâ quidem ratione deprehendimus, unius gradus cœlestis intervallo respondere, in circuitu terræ, millaria 56 cum besse; quorum singula contineant cubitorum, quos regios vocant, quatuor millia. sicuti tempore Almamonis glor. mem. compertum fuit, pluribus viris doctis ad eandem dimensionem adhibitis.

Hac verò unius gradus quantitate ductâ in circuli circumferentiam, quæ est ejusmodi partium 360, conficitur terræ ambitus: eruntque milliarium 20 millia cum quadringentis.

Quod si totus ille ambitus dividatur per 37, dabit quotus terræ diametrum, nempe 6 millium & ferè quingentorum milliarum.

Si verò diametrum duxeris in circumferentiam, producetur totius superficie terrestris area, comprehendens 132 millena millia, & ferè 600 millia milliarium quadratorum.

Totusque terræ habitatæ quadrans superficie suâ continēbit eorundem milliarium 33 millena millia & 150 millia.

Indè quoque cognoscemus spatii illius latitudinem, quod in hoc quadrante habitari, perfidente ad nos famâ, accepimus: scilicet ab æquatore ad ea usque loca, ubi polus tantum supra horizontem eminet, quantum ab eodem polo distat primum Cancri punctum, hoc est, partibus 66, partisque $\frac{1}{4}$ & $\frac{1}{4}$. atque ita huic ipsi latitudini cedent 3764 milliar.

Quod ad longitudinem attinet, ea tanto intervallo extenditur, quantum horis duodecim orbis cœlestis percurrit, ad æquatorem quidem dimidiæ

dimidiæ æquatoris circumferentiæ æquatur, quæ est decies mille & ducentorum milliarum. at ipsa minor est circa boream, propter arctatas ibi sphæræ partes; ejusq; quantitas accedit ad quintam modò circumferentiæ partem, continens quater mille & octoginta milliaria.

Solent autem habitabilis quadrantis hujus cultiora loca distribui in septem climata. Quorum primi quidem pars media eas regiones transit, ubi maximi diei spatium est horarum tredecim, septimi verò medium, ubi diei maximi longitudine est horarum sexdecim.

Tractus autem, qui meridiem versus patet ultra primi climatis initium, mari cingitur, neque multâ habitatione constat. & qui in boream excurrit, supra climatis septimi extrema, paucas etiam nobis cognitâs civitates habet.

Climatum quidem simul omnium longitudine, ab oriente in occidentem exorrecta, definitur spatio duodecim horarum æquinoctialium. At verò eorundem latitudines discrimine manifesto differunt, scil. dimidiâ longissimæ diei horâ.

Itaque primi climatis medium per ea loca porrigitur, ubi quantitas diei maximæ est 13 horarum, & polus supra horizontem elevatur 16 partibus

tibus & $\frac{1}{4}$ partis unius. Principium verò est, ubi maxima dies continet horas 12 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Finis denique, ubi dies longissima constat horis 13 $\frac{1}{2}$; & polus attollitur partibus 20 $\frac{1}{2}$, idque totius climatis intervallum est milliarium 440.

Climatis secundi medium existit, ubi dies maximus constat horis 13 $\frac{1}{2}$; poliq; altitudo partibus 24, partisque $\frac{1}{2}$. Patet autem climatis hujus latitudo à termino primi climatis ad eum locum, ubi dies longissimus continet horas 13 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$ hora unius; polique elevatio partes habet 27 $\frac{1}{2}$. quod quidem spatium est 400 milliarium.

Tertii climatis medium est, ubi dies maximus horas complectitur 14; & poli elevatio partes 30 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Latitudo à fine secundi climatis ad eum pertingit locum, ubi dies maximus habet 14 $\frac{1}{2}$ horas; & poli altitudo 33 $\frac{1}{2}$ partes. quod intervallum est 350 milliarium.

In medio quarti climatis longissimus dies facit horas 14 cum $\frac{1}{2}$; & poli elevatio 36 partes cum $\frac{1}{2}$. Ipsius autem latitudo à tertii climatis termino extenditur eò usque, donec dies maximus obtinuerit horas 14 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$; & altitudo poli partes 39. ejusque latitudinis dimensio est 300 milliarium.

Climatis quinti medium constituitur eo loco, ubi dies maximus est horarum $15\frac{1}{2}$; & poli elevatio partium $41\frac{1}{2}$. Latitudo verò est à fine climatis quarti ad eum locum, ubi dies maximus est horarum $15\frac{1}{2}$; & altitudo poli partium $43\frac{1}{2}$. quod quidem spatium est milliarium 255.

Sexti climatis medietas transit ea loca, in quibus dies maximus comprehendit 15 horas cum semisse; & altitudo poli 45 partes cum $\frac{1}{2}$. Latitudo autem à quinti climatis fine eò excurrit, ubi dies maximus comprehendit 15 horas cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$; & altitudo poli 47 partes cum $\frac{1}{4}$. protenditur ergo ad 210 milliaria.

Septimi deniq; climatis medium est, ubi longitudo diei maximè æquatur horis 16; & poli elevatio partibus 48, ac præterea partis unius $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Ejus latitudo à fine sexti climatis eò pertingit, ubi dies longissimus est horarum $16\frac{1}{4}$; & poli altitudo partium $50\frac{1}{2}$. ideoque ea ipsa latitudo constat 185 milliabus.

Differentia igitur inter initium primi & finem ultimi climatis est horarum $3\frac{1}{2}$; atque elevacionum differentia 38 partium. Universæ autem latitudinis intervallo cedunt de terræ circuitu millaria 2140.

C A P. IX.

*Traduntur regionum & urbium celebriorum nomina,
quas singula orbis clima comprehendunt.*

Nunc recensenda nobis locorum & urbium nomina, quæ in quoque climate celebres existunt. initium autem faciemus ab orientali orbis parte; explicantes priùs, quid locorum longitudo & latitudo notent. Dico igitur urbis cuiusq; longitudinem esse distantiam ejus à primo quadrantis habitabilis termino, prout orientem respicit vel occidentem. ejus quidem mensura est æquatoris spatum, quod inter utrumq; & urbis & principii illius meridianum intercipitur. Latitudo autem est urbis ab æquatore distantia; & definitur, suâ velut mensurâ, ipsâ poli supra horizontem altitudine.

Primum quidem clima incipit ab oriente, scil. Sinensis regni extremis; & protenditur per australes ejus partes. Hic sita Sinarum urbs regia; & Asphetira, ubi suus illis portus est. Hinc tendit per maris littora, Indiae atq; Sindiæ meridionalia. tunc in ipso mari insulam transit Cáralam, & ultra mare peninsulam Arabum, scilicet regionem ejus Jémenam. ibi urbes claræ Dafar, Omân, Hamadum

dramûta, Aden, Sânaa, Alkyn, Mara, Tebâla, Giurex, Mahar, Saba. Ac postquam mare Rubrum transiit, regnum Habassînum intersecat, & Nilum Ægypti. in hoc climate regni Habassini metropolis, quæ Giuzma dicitur, & urbs Nubiæ Duncâla. Deinde porrigitur per Africam, nimirum regni Barbarici australia: donec terminetur ad mare hesperium.

Clima secundum, sumpto etiam ab oriente initio, transit per Sinas: tum per Sindiam, ubi civitas Almansôra, Albirón & Daibul. Deinde, superato maris Persici & Basensis concursu, pervadit per Arabiam, sc. regionem Negdam & Tehâmmam. in hoc climate ibi extant inter cæteras urbes Jemâma, Bahreina, Hager, Iátriba, Higiâza, Mecca, Tháïfa, Giudda. Hinc, seculo mari Rubro, per Sâidam Ægypti ac Nilum transit. ibi inter alias urbs Cûsa, Ichmyn, Afna, 'Ansina, & Asvân. Deniq; procedit per medium Africæ propriè dictæ, & per Barbarorum terram, usque ad mare hesperium.

Tertium clima ab oriente exporrigitur per borealem Sinarum tractum: tum per Indiam, ubi est urbs Candahâr. Succedunt borealia Sindiaæ, regio Cabul, Carmania, Alexandria, Segistân,
Muhamme-

Muhammedia, Girofta, Sirgiān. maris Basrensis
littora. Ibi inter urbes cæteras Istachra, Giaura,
Phasa, Sabûra, Xirâs, Sirâpha, Sinys, Genâfa,
Mahrubân. Deinde transit per regiones Ahvâzæ
& Irâcæ. ubi inter alias hæ sitæ sunt urbes, Basra,
Vâsitha, Bagdâdum, Cûfa, Anbâr, Hyta. Posthæc
per Syriâ extenditur: ibiq; urbes sub hoc climate
Hijâr, Salamia, Himsa, Damascus, Tyrus, Aca,
Tiberias, Cæsaria, Orsufa, Hierosolyma, Rama,
Ascalon, Gaza, Medjan, Cólzuma. Tunc inter-
secat quoque inferiorem Ægypti partem. ubi
Pharma, Tanis, Damjâta, Fustâta, (quæ Ægypti
caput;) Phejûma, Alexandria. Denique tendit per
Barcam; Africamq; propriam, in qua oppidum
Keiravân: donec terminetur mari hesperio.

Quartum clima, ab oriente inchoatū, produci-
tur per Tebetarū regnum; tum per Chorasânâ: ubi
inter urbes cæteras extant Chogenda, Osrúxena,
Fergâna, Samarcanda, Balchum, Buchâra, Hira,
Ommavia, Marvarûda, Mera, Sirchas, Thûla, Ni-
fabór, Georgiâna, Comus, Tabristâna, Dinavéda,
Cazvyn, Deilem, Ræa, Issahân, Coma, Hamedân,
Nihavenda, Dinór, Hulvân, Xahrezór, Sermen-
ræa, Mausel, Béleda, Nasibyn, Amida, Raso-llaina,
Calícala, Simxât, Harrân, Racca, Carkisia. Dein-

de septentrionalem Syriæ partem intersecat. ibi
inter urbes alias Balis, Menbigum, Samosata,
Malathia, Zantara, Halebum, Kinsarîna, Antio-
chia, Tripolis, Missîsa, Sidon, Kenisato-slauda,
Adana, Tarsus, Amonia, Laodicea. Porrò maris
Mediterranei insulas Cyprum & Rhodum transit:
& denique in Mauritania regionem Tingitanam,
usque finem suum; nempe mare hesperium.

Clima quintum, ab oriente deductum, sc. Ia-
gôgum regno, tendit per borealia regionis Cho-
rasânæ. Ibiq; inter alias urbes continetur Tirâs
emporium, Navakîta, Chovarizma, Isphigiâbum,
Assax, Tiranirenda, Aderbigiâna; oppida Arme-
niæ, Bérdaa, Nexva, Arzén, Chalâtum. Deinde
intra Romanorum fines excurrit per Chár xenam,
Caram, & magnam Romam. tum per borealia
mediterranei maris littora; & tandem per Anda-
lusiam: donec desinat ad mare hesperium.

Clima sextum quoque ab oriente per Iagôges
porrigitur: tum per Cházaros, & medium mare
Caspium transit, usq; Romanorum ditionem. &
fecat Charasânam, Amasiam, Heracleam, Chal-
cedonem, Constantinopolim, tractus Burgiânæ.
& tandem finitur ad mare hesperium.

Septimum denique clima ab oriente itidem,
sc. bo-

sc. boreali Iagôgum regione exorsum, protenditur per Turcarum terras; borealia Caspii maris littora, tum per mare Euxinum, & paludem Mæotidem; porrò per regiones Burgiânae atque Sclavoniæ. terminatur item mari hesperio.

Reliquum verò habitati tractus, quod quidem cognovimus ultra hæc climata proferri, initium quoque capit ab oriente, scil. Iagôgum regno. Dehinc Tagâgarum, Turcarum, Tatarorum, & Alanorum regna secat. Deinde per Burgiânam & Sclavoniam tendit. tandemq; à mari hesperio finem habet.

C A P. X.

*De ascensionibus signorum; earumque in sphæris rectis
& obliquis varietate.*

Post ea, quæ suprà dicta fuerunt, describen-
dæ nobis signorum in utraq; sphæra, tum
recta, tum obliqua ascensiones. itaque principio-
notandum, sphæras rectas intelligi, cùm circuli
finitores transeunt per utrumque æquinoctia-
lis polum; quales quidem contingunt locis om-
nibus, quæ sub æquatore existunt: suntq; hi ipsi
circuli etiam climatum meridiani. Sphæras au-
tem obliquas constituunt horizontes climatum,
qui

Cùm zodiacus ab ortu convertatur in occa-
sum, & quidem circa æquinoctialis polos, necesse
est æquales ejusdem zodiaci portiones in sphæra
recta & obliqua temporibus inæqualibus emer-
gere. Horum enim æquabilitas desumitur à
conversione æquinoctialis, quæ fit super propriis
ejus polis, & motus est ipsius universi. Eaque
moti æquinoctialis tempora, quæ signis in qua-
que sphæra orientibus respondent, signorum
coortus & ascensiones indigitantur. etenim ipsa
sunt arcuum zodiaci mensura, qui unà cum illis
in sphæra ascendunt.

In recta quidem Sphæra quadrantes zodiaci
ascensiones habent sibi æquales; quadrantes, in-
quam, principiis quatuor signorum, Arietis,
Cancri, Librè & Capricorni interjecti. Eorundem
autē quadrantiūm partes, ascensiones habent sibi
inæquales: adeò ut bini tantūm arcus, ab horum
iv. punctorum quolibet utrinque æquales, sicuti
ab æquinoctiali æqualiter declinant; ita etiam in
Sphæra recta ascensiones obtineant invicem æ-
quales.

In sphæris obliquis duo tantūm semicirculi,
qui

qui punctis æquinoctialibus interjacent, suis ascensionibus æquantur. & bini tantum zodiaci arcus, qui ab eodem æquinoctiali punto utrinque sunt æquales, habent ascensiones suas invicem æquales.

At bini quique zodiaci arcus, ab eodem punto tropico utrinque æquales, ascendunt inæqualiter; & quidem ascensio unius, qui signo Arietis propior, in sphæra obliqua tanto minor est, quam in recta; quanto ascensio arcus alterius, qui signo Libræ propior, in eadem sphæra obliqua major est, quam in recta.

Eapropter bini quiq; zodiaci arcus, ab eodem punto tropico utrinque æquales, ascensiones suas in sphæra obliqua, simul conjunctas, faciunt æquales cōjunctis ascensionibus in sphæra recta.

Atq; etiam bina quævis signa opposita ascensiones obliquas, simul sumptas, obtinent æquales simul sumptis ascensionibus rectis.

Utique si bina quæque signa, quorum unum à principio Arietis vel Libræ, alterum, illi oppositum, à principio Canceris vel Capricorni æqualiter removentur, ascensiones sibi vendicant invicem æquales.

Similiter, quoniam oriente zodiaci segmento

F aliquo

aliquo oppositum occidit, etiam tempus, quo signum quodque adscendit, æquatur temporis, quo oppositum signum descendit.

Et in sphæris rectis, quales sunt tractus sub æquatore siti, signi cujusq; ascensio signi oppositi ascensionem æquat. ideoq; signorum coortus & concessus, seu ascensiones & descensiones ibidem sunt æquales. At in sphæris obliquis, quales climatum tractus sunt, quia signi cujuslibet ascensio discrepat ab ascensione signi oppositi, signorum ascensiones & descensiones quoq; differre necesse est: ita tamen, ut ambæ, simul sumptæ, æquentur duplo ascensionis rectæ.

C A P. XI.

De quantitate temporis diurni, & nocturni: & horarum aequalium atque inæqualium differentia.

Nunc autem diei & noctis dimensionem exponamus, & horarum diversitatem. Ac primum quidem declarabimus, quæ sit diei cujusq; cum sua nocte, sive nycthemeri quantitas. Hanc itaque esse dico conversionem mundi, factam ab uno Solis ortu ad alterum subsequentem.

Cùm verò Sol, per zodiacum incedens adversâ in orientem viâ, nycthemero quolibet disparem faciat

faciat progressum, unius quasi gradus & diversæ ascensionis pro diverso horizonte; tempus, inter binos Solis ortus proximos elapsum, conversio-
nis mundanæ periodum excedit spatio istius pro-
gressus.

Unde manifestum est cujuslibet nycthemeri quantitatem constare 360 gradibus, & simul ascensione spatii, quo Sol die illâ & nocte pro-
cessit.

At quia ascensiones obliquæ variant bifariam, tum propter differentes zodiaci partes, tum pro-
pter differentes climatum horizontes, rectarum verò ascensionum variatio simplex est, & loci cu-
jusq; meridianus velut horizon est sphæræ rectæ;
propterea astronomi inire solent nycthemeri mensuram à meridie ad meridiem subsequentem.

Conversionis mundanæ quantitas, factæ ab ortu Solis ad occasum, arcus diurnus dicitur; est
que ille, quem Sol delineat suo ab oriente in oc-
cidentem motu, æquinoctiali quām proximè parallelum. ita quoque conversionis, factæ ab occasu in ortum, quantitas vocatur arcus no-
cturnus.

Distribuitur autem nycthemeron quodlibet in 24 horas. quarum singulæ sunt graduum 15

& particulæ cujusdam munitissimæ conversio.
Atque hæc quidem horæ appellantur æquales;
quia earum intervalla neutiquam differunt. Et si
arcus diurni quantitas dividatur per 15, invenie-
tur numerus horarum æqualium, quo dies illa
constat. Si quoque dividatur in 15 arcus nocturnus,
orientur horarum æqualium numerus, qui
cedit nocti: estque hic ipse numerus, qui horis
dies deficit ad explendas horas 24.

Horæ temporariae sive inæquales dicuntur,
quando, æstate & simul hyeme, tum dies, tum
nox quælibet distribuitur in horas 12. quæ qui-
dem horæ quantitatem variant, pro diei ipsius &
noctis spatio protracto vel contracto.

Ideoque cum dies nocte major est, horæ quoq; diurnæ majores sunt nocturnis. Similiter, cum
dies brevior, & horæ ejus breviores sunt. Et qui-
dem, si arcus diurnus dividatur per 12, dabitur
conversionis mundanæ portio, quæ horæ cuique
respondet: atque hæc appellantur horarum tem-
pora. Ita etiam, arcu nocturno in 12 diviso, ho-
rarum nocturnarum tempora provenient; erunt
que ipsa temporibus horarum diurnarum com-
plemento ad 30 gradus.

Perispicuum itaque est, eas horas dici æquales,
quarum

quarum quidem numerus pro diei longitudine vel brevitate major vel minor est; tempora verò manent æqualia. horas autem temporarias vel inæquales dici, quarum tempora sunt inæqualia; at numerus semper æqualis est.

C A P. XII.

*Describuntur orbium stelliferorum figura ac compositio,
& distantiarum à terra ordines.*

Postquam superiore tractatione, quam præmitti oportebat, diximus de climatum partibus; & quæ in iis diei & noctis varietas, quæque res cæteræ consequentes accidunt, sermonem nunc instituamus de stellis fixis & errantibus. Primum autem referemus orbium, eas continentium, formam & ordinem; sequunturi in eo sapientiorum, qui ante nos fuerunt, sententiam & consensum.

Dico igitur orbes, qui stellarum omnes motus complectantur, numero esse octo. quorum quidem septem convenient stellis septem errantibus; octavus verò, qui supremus, universis stellis fixis: idem cum orbe signifero.

Sunt autem orbes hi figurâ sphæris similes: quarum aliæ alias includunt. earum minima, que

terræ proxima, Lunæ est; secunda Mercurii; ter-
tia Veneris; quarta Solis; quinta Martis; sexta
Iovis; septima Saturni; octava denique siderum
fixorum. Et quidem hæc ultima, quæ & signi-
fera, centrum idem habent cum centro terræ;
septem verò reliquæ, quæ planetarum sunt, cen-
tra sua habent à centro terræ dissidentia in diver-
fas partes.

Unamquamque harum sphærarum octo cir-
culus ab oriente lecat ad occidentem: qui quidem
in stellarum fixarum sphæra est ipse motus secun-
di cingulus seu zodiacus, de quo supra diximus;
ad eumq; refertur & expenditur motus inæqualis
verus; quo observantur stellæ omnes procedere
ab occidente in orientem: in sphæris verò eccen-
tricis, circulus ille quoque eccentricus dicitur.
estque ille, in quo concipitur stellarum motus ab
occidente ad orientem æqualis medius.

Ex iis, quæ dicta sunt, consequitur, in quolibet horum septem orbium duo esse loca sibi op-
posita, in quorum uno orbis à terra abest longis-
simè; in altero proximè. ideoq; summæ distantiæ
locus vocatur perigæum, seu absis summa; mini-
mæ verò distantiæ locus apogæum, seu absis ima.

Cum igitur stella versatur in hemyclio remo-
tiore,

tiore, scil. in quo apogæum est, appâret motus ejus in zodiaco tardior, & motu medio per orbem suum minor; propter majorem distantiam à terra: cùm verò stella est in hemyclo propiore, appâret motus ejus in zodiaco velocior, medioq; motu major. motus autem medius, semper regularis, ille est, quo stella in eccentrico suo fertur æquabiliter: motus verus ille dicitur, quo videtur stella progredi in zodiaco.

Quod quidē ad Solem spectat, ejus corpus parili semper conversione vehitur in ipsius eccentrico; cuius planum jacet in plano zodiaci, inclinatio-
nis expers. Quod verò ad sex stellas reliquas at-
tinet, vehuntur earum corpora, non in eccentrico; sed in orbibus exiguis, qui appellantur epicy-
cli: utpote qui devehuntur ipsi in eccentricis. Hi
autem circuli utriq; eccentrici & epicycli, super-
ficies suas ad planum zodiaci inclinatas habent.

Epicycli Lunaris centrum circumducitur per eccentricum illum, de quo diximus: veruntamen conversio ejusdem centri equabilis conficitur su-
per centro zodiaci. Epicyclorum verò sideribus
quinque reliquis competentium, centra deferun-
tur in eccentricis, à prioribus illis, quorum præ-
cessit mentio, diversis; qui tamen prioribus iis-
dem

dem magnitudine æquales sunt, & superficies obtinent in eodem cum ipsis plano. Verum, quæ in hisce eccentricis ambiunt epicyclorum centra, æquales motus æquali tempore peragunt super eccentricorum priorum centris. Ideoq; circulus ille, in quo circumfertur epicycli centrum, vocatus fuit eccentricus deferens: circulus verò prior, circa cuius centrum æquabili motu procedit centrum epicycli, dictus fuit eccentricus motum æquans.

Cæterum eccentricorum, qui planetis sex tributi sunt, superficies quælibet planum eclipticæ in duas æquales partes fecat duobus locis oppositis; atque ab eo in duas plagas, septentrionem & austrum, deflectit. Quæ quidem mutua utriusq; circuli, sc. stelliferi & signiferi, intersectio figurâ refert Græcorum literam χ . punctum autem illud, quo circulus stellifer à signifero in septentrionem vergit, caput Draconis seu nodus evehens, dicitur; punctum verò oppositum Draconis cauda, seu nodus devehens.

Lunæ quidem epicyclus superficiem habet in plano eccentrici: atque in latitudine contingit illi una simplex mutatio, quâ eccentricus ejus declinat à signifero. at stellarum quinque reliquarum epicycli

epicycli deflectunt ab ipsis eccentricis declinatione etiam alterâ. ideoque eorundem siderum cuique contingit latitudinis ab ecliptica variatio gemina; una quidem ob eccentrici à signifero deflexum; altera verò ob epicycli deflexum ab eccentrico. Atque hoc est, quod de orbium stelliferorum figura & connexione sapientes unanimi consensu statuunt.

C A R. XIII.

*Quâratione Sol, Luna, & stellæ fixæ in suis orbibus vertuntur
in utrumq; tractum, orientem & occidentem; qui
motus longitudinis dicitur.*

Descriptis suâ formâ stellarum sphæris, orbiumque connexione, nunc exponenda nobis sphæræ cujusque conversio atque periodus. Et quidem initium capessemus à stellarum fixarum sphæra; quippe cujus motus duntaxat unus est, & uniuersis stellis errantibus communis.

Ea quidem sphæra ab occidente gyratur in orientem super zodiaci polis, centenis quibusque annis, ut Ptolemæi est sententia, per spatium unius gradus. eodem motu unâ convertuntur septem planetarum sphæræ: ita ut ipsorum absides

& nodi tantundem promoveantur in consequētia, id est, secundum signorum ordinem; totumque zodiacum percurrent annis 36000. Stellæ autem illæ appellantur fixæ, propterea quod simul omnes ab occasu in ortum aguntur æquali motu; ac proinde figuræ suas & distantias servant immutabiles.

Soli ab occasu in ortum motus simplex est, scil. unus per eccentricum, ipsi proprius; qui in dies singulos est minutorum quasi 59: motus alter tardissimus, (qui fit circum zodiaci polos, & octavæ sphæræ motum æquat,) in centenos quoisque annos unius gradus. Ex hisce duobus motibus conflatur ille, quo Sol ab occidente versus orientem progredi cernitur in zodiaco; totumque percurtere diebus 365 & quadrante, excepto particulæ inobservabilis momento.

Luna peragit motus circulares quinque. Nam ipsius corpus in epicyclo fertur; ab ortu quidem in occasum, cum superam ejus partem occupat; contrà ab occasu in ortum, cum tenet inferam. Epicycli centrum in eccentrico convertitur ab occidente in orientem. At eccentrici hujus centrum ambit circulum zodiaco concentricum, ab oriente in occidentem; nimirum in adversas partes

tes à moto epicycli centro. Est autem Lunæ & alter orbis, zodiaco etiam concentricus & in eodem plano; quem circulus obliquus bifariam secat in duobus punctis oppositis, nimirum capite & cauda Draconis, inclinatus ad ipsum in septentrionem & austrum. Idem autem ille circulus, zodiaco concentricus & ejusdem cum eo plani, motu suo obliquum hunc circulum secum vehit in occidentem, circum polos zodiaci; ipsosq; nodos retrahit in antecedentia, id est, contra signorum ordinem. Contingit quoq; sphæræ Lunari, quæ hosce motus complectitur, tarda in orientem conversio, stellarum fixarum conversioni æqualis.

Ut autem hæc ipsa, quæ de Lunæ motibus dicta sunt, exemplo proposito illustrentur; dicimus Lunam, in superiore epicycli parte constitutam, unâ die ferri motibus suis simul omnibus, hoc modo. Ejus corpus movetur in epicyclo occidentem versus, per grad. 13 & min. 4, scilicet ejusdem epicycli partes. Hujus epicycli centrum fertur per eccentricum, versus orientem, spatio 14 grad. & 23 minut. secundum quantitatem circuli cum zodiaco homocentrici. Ejus eccentrici centrum vertitur in circello quodam, qui zodiaco concen-

tricus est; & conversione suâ apogæum ad occidentem retroagit gradibus 11 & minutis 9. Atq; ita colligitur centrum epicycli in orbe , qui zodiaco concentricus, quotidie suo motu conficere 13 grad. & 14 minut. Concentricus autem ipse, & unà cum eo obliquus circulus, eundem interfecans, convertitur in occidentem, per 3 minuta. Quam ob causam epicycli centrū videtur transire in zodiaco gradus 13 & minuta propè 11; qui est Lunæ motus medius. Ex motu verò corporis Lunæ in epicyclo exiguum quidpiam zodiaco cedit; quod motui medio additur vel detrahitur, ut proveniat Lunæ in zodiaco motus verus.

Ex hisce itaque constat centrum epicycli in eccentrico obtinere motum æqualem duplo excessus, quo motus Lunæ medius superat medium motum Solis. quod si enim Solis motus medius, qui est minutorum 59 & alicujus particulæ, auferatur à medio motu Lunæ, qui est graduum 13 & minutorum ferè 11 , restabunt 12 gradus & 11 minuta cum semisse : hisce autem duplicatis, efficientur 24 gradus cum 23 minutis; quantus est motus centri epicycli.

Ex eo, quod de progressu centri epicycli diximus, quòd nempe is duplam æquat Lunæ à Sole digres-

digressionem, necessariò sequitur idem epicycli centrum bis quovis Lunari mense permeare eccentricum.

Præterea ipsa Lunæ sphæra, quæ motus hosce includit, alio quodam motu lento cietur super zodiaci polis, in orientem vergens, quotannis per gradum unum; quantum procedunt stellæ fixæ.

Atque ita ostensum est Lunæ incessum, qui ab occasu ad ortum in zodiaco animadvertisit, componi ex quinque motibus circularibus, scil. motu ipsius corporis in epicyclo; motu centri epicycli in ambitu eccentrici; motu centri eccentrici in parvo circulo, cuius centrum idem est cum centro zodiaci; motu obliqui circuli & simul circuli illius, cuius planum cum plano zodiaci idem est, super zodiaci polis: hic motus caput & caudam Draconis transfert in signorum antecedentia. denique motu sphæræ totius, qui stellarum fixarum motui est æqualis.

Cæterùm epicyclo Lunari in sua per eccentricum conversione accidit declinatio quædam & inflexio, modò in ortum, modò in occasum; hâc quidem lege. si quando epicycli centrum revera existit in apogæo vel perigæo eccentrici, diameter epicycli, quæ apogæum ipsius transit, in-

directum jungitur cum diametro eccentrici dūtā per centrum zodiaci. postquam autem epicyclus duo absidum loca est transgressus, diameter ejus nec ad centrum eccentrici inclinat, nec ad centrum zodiaci. at perpetuò vergit ad diametri eccentrici punctum, quod sit inter apogæum ejus & centrum zodiaci; tantâ distantia ab hoc centro remotum, quantâ indidem abest centrum eccentrici: ita ut linea, quæ punto illo & hoc eccentrici centro terminatur, à zodiaci centro fecetur bifariam. Hanc ob causam orbi epicyclo in conversione sua quædam accidit inclinatio; quâ apogæum ejus, quod quidem ex dicto punto videretur, à loco suo deflectit; quâque apogæum ejus, quod re ipsa videtur è centro zodiaci, loca in epicyclo mutat. Cù enim epicycli centrū ab apogæo fertur ad perigæum, apogæum epicycli vi sum priorem absidem præcedit versus orientem; cùm verò centrum epicycli fertur à perigæo ad apogæum, tunc apogæum epicycli vi sum absidem priorem sequitur ad occidentem. Et quidem præcessio hęc atque successio evadunt maximæ, centro epicycli delato ad medias eccentrici distantias. Apogæum illud epicycli prius, quod in motu suo à punto memorato dependet,

det, nuncupatur apogæum medium; illud autem, quod videtur è centro zodiaci, apogæum verum dicitur. Atque ita expositi nobis sunt universi Lunæ motus.

C A P. XIV.

*Describuntur quinque siderum vagorum motus in
orbibus suis secundum longitudinem.*

Verùm stellarum quinq; vagantium motus in suis epicyclis, diversi sunt à motu Lunæ: earumque orbes, & ab orbe Lunæ & ab invicem differunt.

Untum est, quòd cùm stellæ illæ tenent superna epicycli, incedunt versus ortum, quâ nempe parte centrum epicycli fertur per eccentricum.

Tum etiam ex iis stellis cuilibet eccentrici duo sunt, inter se æquales; quorum meminimus suprà: ubi diximus ab uno deferri centrum epicycli; ad alterum referri motum ejusdem centri medium, eum scilicet, qui temporibus æqualibus transire cernitur æquales partes. Ad hujus circuli centrum, qui exæquat motum, inclinatur & deflet diameter epicycli.

Quod quidem ad Saturnum, Iovem, Martem & Venerem spectat; in iis eccentrici, centrum epi-

cycli deferentis, centrum distinguit cuiusque lineam, quæ centrum zodiaci cum centro circuli motum æquantis connectit, in duas æquas partes; & quidem semper eodem modo. Quod autem ad Mercurium attinet, ejus eccentrici deferentis centrum haud semper eodem loco manet: sed in parvo quodam circulo convertitur; sicuti in Luna res habet. Hujus autem circelli centrum fixum atque immotum hæret in ea linea, quæ per centrum utrumque transit, tantumque ab eccentrici fixi centro distat in partem à centro zodiaci alteram, quantū ipsum zodiaci centrum indidem abest. ita ut circellus ille lineam, centro suo & zodiaci centro interjectam, bifariam intersecet in eccentrici fixi centro.

Centrum quoq; epicycli utriusque, tum Mercurii, tum Veneris, medio motu conjungitur Soli; & conversione Solis convertitur. Quamobrem necesse est, ut quando ipsi in epicycli sui apogæo versantur vel perigæo, medio motu cum Sole coëcant: quando autem consistunt ad epicycli sui latera in contactu linearum, quæ à terra ad illa eductæ fuerint, distantiam à Sole obtineant maximam.

At in Saturno, Iove & Marte centrum epicycli quodque

quodque motu tardiore, quam Sol convertitur: ita tamen, ut, motu corporis cuiusque stellæ in suo epicyclo ad motum centri epicycli adjecto, compositum hoc conversionem Solis ipsius æquet. Unde etiam sequitur trium horum siderum quodlibet epicycli sui ambitum peragere eodem tempore, quo Sol ab ejus congressu ad eundem reddit: & eorum singula contingere apogæum, cum Sol motu suo medio cum ipsis congridetur; sicut etiam in Venere & Mercurio accidit: tunc verò tenere epicycli sui perigæum, cum Sol ipsis opponitur.

Nunc verò speciatim exponamus ea, quæ de Mercurij motibus observantur; quoniam ipsi magis impliciti sunt. Mercurius igitur in epicyclo suo, dum quidem in superiore ejus parte est, movetur orientem versus. Epicycli centrum in eccentrico defertur etiam ad orientem. Centrum eccentrici deferentis vertitur in circello, supra descripto, ad occidentem. Denique Mercurii sphæræ, quæ motus hosce includit, conversio accidit in orientem, conversioni siderum fixorum æqualis.

Ejus rei exemplum dabimus; ita uti in Luna fecimus. Mercurius, inquam, in epicycli superioribus

rioribus existens, die unâ motibus suis agitur simul omnibus. In epicyclo quidem ad ortum procedit tres ejusdem circuli partes & sex minuta. Hujus epicycli centrum in deferente eccentrico spatum conficit, quod (in partibus eccentrici immobilis, motum æquantis,)par est duplo cursus solaris medii, scilicet gradum unum & scrupula 59. Centrum eccentrici, qui centrum epicycli defert, in circello convertitur, & apogæum retroagit circuitu in occidentem per scrupula 59; quantus est progressus Solis. Unde contingit centrum epicycli orientem versus tantum peragere de eccentrici fixi partibus, quantum Sol ipse promovet, nempe scrupula quoque 59. Itaq; Mercurii epicyclus centro suo circumit eccentricum illum fixum, motus æquatorem, spatio temporis annuo; quo Sol percurrit suum eccentricum: eodemque tempore bis ambit eccentricum mobilem, qui ipsum defert; sicuti Luna uno mense bis absolvit eccentricum. Orbis denique Mercurii totus, hasce conversiones in se complectens, versatur in orientem centesimo quoque anno per gradum unum: quemadmodum ventur sidera cœlo affixa.

Atque ita constat Mercurii motum, prout in zodiaco

zodiaco apparet, compositum esse ex motibus quatuor: ex motu corporis ejus in epicyclo; motu epicycli in eccentrico; motu centri, quod est eccentrici deferentis, per circulum in partes motui primo adversas; & ex motu sphæræ totius, qui stellarum fixarum motum æquat.

Quod autem spectat ad sidera quatuor reliqua, antè ostensum fuit orbium formam, & centrorum discrepantiam eodem se habere modo; eorumque motus simul tendere in orientem. Horum motuum mensuræ hæ sunt: motu diurno conficit Venus in epicyclo quidem scrupula hujusce peripherie 37; epicycli autem centrum in eccentrico æquatore scrupula 59; quantum peragunt Sol atque Mercurius.

At in Saturno, Jove & Marte conversionis ratio diversa est: nam si cujusque in epicyclo motus additus fuerit ad centri epicycli motum in eccentrico æquatore, summa illa erit motui Solis medio æqualis. Atque ita motu quotidiano progressiuntur illa sidera, Saturnus quidem in epicyclo 59 minuta; epicycli ejus centrum in eccentrico æquatore minuta quasi duo: Iupiter autem in epicyclo minuta 54; epicycli hujus centrum in æquante eccentrico minuta propè 5. deniq; Mars

H 2 conficit

conficit in epicyclo minuta 28; centrum epicycli in eccentrico æquatore minuta fere 31. Omnia verò horum siderum sphæræ centesimo quoque anno peragunt partem unam: quæ est stellarum fixarum conversio.

Constat igitur motum, quem siderum horum quatuor singula, Mercurio nempe excepto, in zodiaco exhibent, conflari ex motibus duntaxat tribus: motu sideris in epicyclo; motu centri epicycli in eccentrico; & motu sphæræ totius, stellarum fixarum motum æquante.

Horum verò quinque vagantium siderum cuiq; accidit in epicyclo suo inclinatio quædam & deflexio: quemadmodum & in Luna contingit. Nam epicycli diameter, per ejus apogæum ducta, transit per centrum signiferi, si quando eccentrici apogeo vel perigeo vero occurrit. in locis autem, quæ inter absidas hasce sunt, per centrum signiferi haudquam transit; neque etiam transit à parte perigæi; veluti in Luna contingit: sed in motu suo semper cohæret cum centro eccentrici, qui exæquat motum. Ideoq; cùm in quinq; hisce sideribus centrum epicycli ab apogæo fertur ad perigæum, tunc apogæum epicycli verum retrocedere videtur ab apogæo medio ad occasum;

contrà

contrà atque sit in Luna: similiter, cùm fertur à perigæo, tunc videtur ad apogæum medium accedere in ortum. Atque ita demonstrati nobis sunt omnes stellarum motus secundum longitudinem.

C A P. XV.

De quinque vagorum siderum regressione in zodiaco.

Explicare nobis hoc loco visum est, quis stellis quinque vagantibus regressus accidat in sua per zodiacum conversione. Ac primùm, quia stellæ in superiore epicycli parte constitutæ incedunt ortum versus, quò etiam tendit ipsius epicycli centrum, ipsæ cursu incitatæ appârent; propter conjunctionem duorum motuum in eandem partem: in tractu verò epicycli inferiore feruntur ad occasum, partem priori motui contrariam. At quando stella in alterutro epicycli latere versatur, orientali vel occidentali, (eo quidem loco, ubi lineæ à terra protensa circulum contingunt,) de stelle per epicyclum motu haud quidquam in zodiaco appâret: adeò ut qui-cunque in zodiaco motus ejus observatur, tantum pertineat ad circumactum epicycli centrum. Quando autem stella ab eo loco procedit,

H 3

ubi

ubi linea epicyclum in parte orientali tangit; tunc incipit motus stellæ, in epicyclo ad occasum apparet, tardissimus: ac proinde ab eo motu deficit, quo ad ortum videtur ferri ipsius epicycli centrum. Quantum autem stella, descendens in epicyclo, ad perigæum accedit, tanto motus ejus in epicyclo occasum versus apparet major: donec quantitas motus stellæ, qui in epicyclo notatur, motum centri epicycli adæquet. atque ita, duobus illis in duas adversas partes motibus inter se æquatis, nullus in zodiaco observatur stellæ progressus, aut regressus: ac si ipsa subsisteret. Dehinc motus ejus, qui in epicyclo cernitur ad occasum, intenditur; motumque vincit alterum, qui in ortum vergit. atq; ideo stella tunc apparet in zodiaco retrograda ad occasum. & quidem apparet hic retrogressionis motus tunc est maximus, cum stella existit in epicycli perigæo. Cum verò ea, perigæum transgressa, in occidentali parte ascendit; atque ad eam distantiam delata est, ex qua in orientali parte cœpit retrogressus; tunc rursus ambo illi motus æquantur. ideoq; stella loco suo, quem in zodiaco tenet, stationalis cernitur: usq; dum, hoc limite superato, cursu in orientem directa appareat.

Atque

Atq; hæc causa est, ob quam sidera illa quinq;
videantur retroferri. Sed quæ, dixerit aliquis, Lu-
næ conditio, cùm & ipsa ad modum quinque si-
derum incedat per epicyclum, ut tamen nullus
ipsi accidat regressus, si quando etiam in superio-
re epicycli parte agitur ad occidentem? ejus rei
causa est, quòd Lunæ per epicyclum incessus, in
quamcunque partem is contingat, spatium in zo-
diaco sibi vindicat exiguum præ motu centri epi-
cycli. ita ut Lunæ ex suo per epicyclum incessu
solùm accidat velocitas & tarditas; illa quidem in
perigæo; hæc autem in apogæo.

Nunc ipsa definiamus loca, in quibus conti-
git planetam ferri retrorsùs vel directè. Dico
itaque, cùm sidus in utrovis epicycli latere à
perigæo epicycli vero abest partibus jam desig-
nandis, aut infra eas consistit; tunc ipsum motu
suo esse retrogradum: cùm autem ultra eas par-
tes processit, motu suo tendere in directum. ea
quantitas Saturno est graduum 66; Iovi grad. 55;
Martii gr. 17; Veneri gr. 13; & Mercurio gr. 34.
Distantia autem maxima, quâ & Venus & Mercurius
à Sole recedunt orientem versus vel occiden-
tem, quando nempe ad lineas existunt epicyclum
contingentes, Veneri quidem est gr. 48; Mercurio
verò grad. 28.

C A P.

C A P. XVI.

*Quam rationem habeant stellarum orbes, qui dicuntur
epicycli, ad orbes eccentricos; quantumq; eccen-
trorum centra absint à centro terræ.*

Determinemus hoc capite, quas mensuras
centrorum intervalla, quasque orbes
epicycli obtineant. Quod quidem ad
Solem spectat, ostensum fuit illi unum dyntaxat
esse orbem eccentricum: ejus orbis centrum à
centro terræ distat talibus partibus $\frac{1}{2}$, qualium
semidiameter est 60; quæ quidem media est
distantia Solis à terra. Quod autem ad stellas
sex reliquias attinet, declaravimus suprà eorum
cuilibet esse centra bina, diversa à centro terræ.
& ex sideribus quinque vagis cujusque bina cen-
tra, fixa atque immota consistere in recta linea
cum centro terræ; eorumq; centrorum intervalla
manere æqualia: Mercurio autem centrum esse
tertium, quod moveatur circùm duorū reliquo-
rum alterum; eo quidem intervallo, quod immo-
tis illis intervallis æquetur. Lunæ centra esse duo
demonstravimus, quorum alterum sit fixum; al-
terum vertatur circùm centrum terræ, eodem
intervallo, quo distat centrum fixum.

Qua-

Qualium autem eccentrici radius est partium 60, (quæ est sideris in eccentrico à terra distantia media,) tales quodque illorum siderum pro æqualibus illis intervallis obtinet, Saturnus quidem partes 3 & $\frac{1}{2}$ cum $\frac{1}{3}$; Jupiter verò partes 2 & $\frac{1}{2}$ cum $\frac{1}{4}$; Mars partes 6; Venus partem 1 & $\frac{1}{4}$; Mercurius partes 3; Luna part. 12 & $\frac{1}{2}$.

Quod denique ad quantitates epicyclorum spectat; cujusmodi partium radius eccentrici statuitur esse 60, ejusmodi partium radius epicycli est Saturno 6 & $\frac{1}{2}$; Iovi 11 & $\frac{1}{2}$; Marti 39 & $\frac{1}{4}$; Veneri 43 & $\frac{1}{2}$; Mercurio 22 & $\frac{1}{2}$; Lunæ 6 & $\frac{1}{3}$.

C A P. XVII.

De periodicis siderum conversionibus per orbes suos & per Zodiacum.

AD periodos siderum quod attinet; primum quidem dicemus de conversionibus orbium epicyclorum. Luna ambitum epicycli peragit diebus 27, & horis 13, ac quasi $\frac{1}{2}$; Mercurius mensibus 3, & diebus fere 26; Venus anno Persico 1, mensibus 7, & diebus propè 9; Mars annis 2, mense 1, & diebus quasi 20; Jupiter anno 1, mense 1, & diebus ferme 4; Saturnus anno 1, & diebus propè 13.

Orbium autem eccentricorum periodi sunt propè eadem cum periodis zodiaci; quia interea dum zodiacus circuitum conficit, motui sideris ex suscepto motu illo lento, qui stellarum fixarum conversioni respondet, haud quicquam adhærescit, quod alicujus sit momenti: præterquam in Saturno & Iove; propter longum temporis tractum, quo uterque periodum absolvit. Atque ita Lunæ periodus erit dierum 27, horarum 7 cum $\frac{1}{2}$ & fere $\frac{1}{2}$. Mercurius, Venus & Sol sigillatim quisque orbem conficit diebus 365, & propè $\frac{1}{2}$: Mars anno Persico 1, & mensibus 10, & diebus ferme 22. Iupiter in eccentrico quidem peragendo hæret annis 11, mensibus 10, & diebus 16; in zodiaco autem eo minus die 1 & quasi $\frac{1}{2}$: Saturnus in eccentrico quidem annis 29, mensibus 5, diebus 15; in zodiaco autem hoc tempore minus diebus 7.

Lunæ nodi circuitum zodiaci peragunt annis 18, mensibus 7, diebus 16 & $\frac{1}{2}$. Stellæ fixæ, & septem siderum absides nodique zodiacum periodo transeunt annis 36000.

C A P. XVIII.

Describuntur siderum fixorum & errantium motus in utramque partem septentrionis & austri: qui motus latitudinis dicuntur.

Postquam jam expositi nobis sunt siderum motus in longitudinem, deinceps dicendum quoque nobis erit de eorum motu in latitudinem; quæ eorundem declinatio est ab ecliptica in septentrionem & austrum. Dico itaque primum, si cogitemus à polo signiferi per stellam trajici circulum ad ejus gradum in ecliptica, hujus circuli portione, quæ inter stellam ejusque in ecliptica gradum comprehenditur, definiri stellæ latitudinem.

Sol quidem, prout commemoravimus suprà, suâ ab oriente in occidentem conversione describit eclipticam: nam eccentrici illius, in quo Sol ambit, planum convenit cum plano eclipticæ; ab eo neutiquam declinans.

Ex reliquis verò præter Solem sideribus ea quidem, quæ dicuntur fixa, moventur simul in oriente super polis eclipticæ. ideoq; si quæ ex hisce existunt in eclipticæ plano; dum movetur, in eodem plano manent: si quæ autem extra planum eclipticæ

ticæ sita sunt, in conversione sua eandem distan-
tiæ ab ecliptica quantitatem servant: neque ab ea
recedunt. Itaque liquet stellas fixas omnes, sive
latitudine careant, sive latitudine præditæ sint,
eandem perpetuò servare rationem.

At Luna & quinque vaga sidera alio sese modo
habent: quoniam eorum motus non super polis
zodiaci fiunt; at super polis eccentricorum, qui
planum zodiaci secant in diametro, & ab eo de-
clinant in utramque plagam, borealem & austri-
nam. atque proinde ipsorum ab ecliptica latitu-
do variat. Eccentrici Lunæ planum interfecat
planum zodiaci in utroque capitis & caudæ pun-
cto: atq; à zodiaci plano deflectit ad septentrio-
nem & austrum declinatione ratâ ac immutabili.
Planum verò epicycli Lunæ cohæret piano sui ec-
centrici, haudquaquam ab eo devians. ideoque
Lunæ in latitudine mutatio duntaxat una est;
quæ contingit ob eccentrici ad zodiacum incli-
nationem. At sidera quinque vaga mutationem
latitudinis non unam obtinent; quia ipsorum ec-
centrici declinant à zodiaco, & etiam epicycli
ab ipsis eccentricis.

Eorum eccentrici secant planum zodiaci in
ipsius diametro, ab ipsoque declinant septentrio-
nem

nem versus & austrum. Communia autem harum sectionum loca illis quinque stellis disposita sunt ad hunc modum ; Saturno quidem in absidis intermediæ & utriusque extremæ medio: stellis vero quatuor reliquis ad absidas duas intermedias.

Saturnus, Iupiter atque Mars eccentricorum suorum absidas summas & imas habent declinatas à zodiaco, illas ad boream, hasce ad austrum, secundum eandem semper deflexus mensuram : quemadmodum res in Luna obtinet.

At Venus & Mercurius declinationem suorum orbium non semper eandem servant: utpote quæ circum zodiaci diametrum nodos transeuntem convertitur, exiguo quodam motu in septentrionem & austrum : is quidem motus quotannis semel revertitur ad suum principium ; sicuti motus ipse secundum longitudinem. Atque ita semicirculus eccentrici apogæus à zodiaco deviat sex mensibus in boream , totidemque mensibus in austrum; & semicirculus eccentrici perigæus simili ratione transfertur in ambas partes borealem & australiem. Planum autem eccentrici quotannis bis convenit cum plano zodiaci; nimirum in nodos incurrente epicycli centro. Cùm

I 3 quidem

quidem Veneris epicycli centrum occupârit nondum utrumlibet, tunc semicirculus, qui nodo illi succedit, declinare incipit in boream; & semicirculus alter in austrum: è contra, cùm Mercurii epicycli centrum in utrolibet nodo fuerit, tunc semicirculus, qui nodum eundem consequitur, principium capit declinationis in austrum; & semicirculus alter in boream. Ideoque necesse est, ut centrum epicycli stellæ hujus utriusque constat aut in plano ipso zodiaci circa nodos; aut ad partem à zodiaco unam: nec unquam declinet ad alteram: Veneris quidem epicycli centrum semper vergat ad boream; Mercurii verò ad austrum. estque manifestum, hanc eccentrici à zodiaco in boream & austrum declinationem tum Veneri, tum Mercurio esse maximam; si quando extiterit epicycli centrum in eccentrici apogeo vel perigao.

Eorundem autem quinq; siderum epicycli declinationem habent, quæ etiam movetur ac transfertur; quæq; principii locum repetit quotannis semel; prout ipse motus in longitudinem. Saturni quidem Iovis & Martis epicyclus quisque gyrratur circum diametrum, quæ transit per duas absidas intermedias: ita ut ejus absis summa sex mensi-

mensibus teneat partem ab eccentrico borealem;
& sex mensibus australem. estque illa per inter-
medias absidas diameter perpetuò parallela pla-
no zodiaci: ita ut planum epicycli in conversione
sua semper intersecet planum eccentrici , nec
unquam cum eo coalescat; at verò cum plano zo-
daci conveniat bis quotannis , cùm nempe ejus
centrum attingit locum utriusvis nodi.

Epicycli autem cuiusq; apogæum & perigæum
declinare ab eccentrico incipiunt in ipsis duobus
nodis ; ejusque declinationis terminus summus
existit in eccentrici apogæo & perigæo. Partes
verò, quò ipsa vergit, ita habent; epicyclorum
quidem perigæa deflectunt ab eccentricis in ean-
dem partem, ad quam inclinant ipsi eccentrici à
zodiaco; epicyclorum autem apogæa in partem
contrariam. ac proinde epicyclorum perigæa, ubi
existunt in semicirculis eccentricorum boreali-
bus, in boream vergunt; ubi in australibus , in
austrum.

Veneris & Mercurii epicyclus motum decli-
nationis obtinet geminum: eorum alter est si-
milis motui siderum reliquorum trium ; quo
nempe epicycli duæ absides, summa & ima, mu-
tant declinationem ab eccentrico : motus autem
alter

alter est, quo absides quoque intermediæ declinationem variant; quæ obliquatio dicitur. Epicycli absis quidem summa & ima declinationem ab eccentrico occipiunt in abside summa & ima ipsius eccentrici; declinationem autem faciunt maximam in utrovis nodo. atq; tunc conveniunt inter se sè planum eccentrici planumque epicycli. intermediè verò epicycli absides principium declinationis obtinent ad ipsos nodos; summum autem ejus incrementum in abside eccentrici summa & ima: atque tunc eccentrici à zodiaco declinatio existat maxima. Conspicuum itaque est, harum declinationum epicycli alterutrâ ad summum auctâ, alteram omnino desinere; quoniam initium unius contingit ad finem alterius.

Partes autem, in quas ea declinatio fit, se habent ad hunc modum: cùm epicycli centrum existit in illo eccentrici semicirculo, qui initium ab ejus apogæo sumit, tunc superiora epicycli declinant ab eccentrico; in Venere quidem septentrionem versus; in Mercurio autem ad meridiem: declinantque epicycli inferiora in partem oppositam. at quando epicycli centrum versatur in semicirculo eccentrici altero, contrâ fit atque in

in priore designavimus. Ex iis vero, quae supradictae stellis tribus reliquis dicta sunt, constat declinationem hanc esse maximam circa utrumque nodum. & tunc intermediæ duæ absides epicycli, qui utravis huic stellæ coherent, inhærent duobus planis eccentrici & zodiaci simul congruentibus. Quod autem ad partem attinet, in quam obliquatio illa declinat; cum epicycli centrum existit in semicirculo eccentrici apogæo, tunc epicycli intermedia absis orientalis declinat ab eccentrico, in Venere quidem ad septentrionem; in Mercurio vero ad meridiem; & intermedia absis occidentalis ad partem oppositam. cumque epicycli centrum est in semicirculo eccentrici perigæo; contrarium obtinet, atque de semicirculo apogæo diximus. Liquet vero obliquationem hanc fieri maximam circa utramque eccentrici absidem, summam & imam, ac tunc extremæ duæ absides epicycli jacent in plano eccentrici.

Quantitates latitudinum istarum in septentrionem & meridiem: haec sunt; Lunæ conveniunt partes 5; qualibus, inquam, constat ecliptica. Dicemus autem breviter, quae stellis quinque latitudo maxima proveniat ex universis in boream & austrum motibus: Saturno tribuuntur

partes 3; Iovi partes 2; Marti in boream partes 4 $\frac{1}{2}$, in austrum 7; Veneri, juxta Ptolemæi observata in magno opere, partes 6 $\frac{1}{2}$; at alibi partes 9; Mercurio, & in boream & in austrum, partes 4 $\frac{1}{2}$. Atque ita definiti nobis sunt stellarum motus omnes in latitudinem.

C A P. XIX.

De stellarum fixarum numero; earumque secundum magnitudinem suam distinctione: nec non de locis cœli, ubi earum maxime quindecim sitæ sunt.

DEscriptis antè siderum motibus in longum & latum, exponamus stellarum fixarum numerum, & magnitudinem earum formam; prout sapientes ipsas dimensi sunt: tum quoque recenseamus stellarum maximarum nomina; quamque ipsæ cœli partem occupent, & quidem hoc ævo nostro; quoniam per centenos quosque annos promovent gradum unum.

Sciendum itaque sapientes iniurisse mensuram stellarum fixarum omnium, quoad instrumentis observari eæ potuerunt, extremam usq; meridie partem, in tertio climate ipsis conspicuam. Earum secundum magnitudinem quantitates distribuerunt in sex classes. ad primam retulerunt magnas illas.

illas atque lucidas; ut sunt Canis & Procyon, Vul-
tur cadens, & cor Leonis. Hisce paulò minores
stellas dixerunt magnitudinis secundæ; quales
sunt Ursæ minoris claræ duæ; & splendentes illæ,
quæ in cauda Ursæ majoris. Atque ita stellarum
quantitates porrò distinxerunt ratione simili;
adèò ut minimæ omnium, quæ sub mensuram
caderent, magnitudinis forent sextæ.

Invenerunt autem stellas magnitudinis primæ
quindecim; secundæ quadraginta quinque; tertię
ducentas & octo; quartæ quadringentas septua-
ginta quatuor; quintæ ducentas septendecim;
magnitudinis sextæ sexaginta tres. inter eas obs-
curæ sunt novem; & nebulosæ ac tenues quin-
que; veluti illæ sunt, quæ existunt in Orionis ca-
pite, atque in Leonis rictu: ipsæ enim exiles sunt,
& in unum compactæ; nubi similes. Itaque stel-
læ universæ, quarum agi mensura potuit, sunt
mille viginti duæ. de quibus cernuntur in parte
citra zodiacum boreali ducentæ sexaginta; in
ipsis zodiaci asterismis trecentæ quadraginta sex;
in parte meridionali trecentæ & sexdecim.

Designemus autem loca siderum illorum
quindecim, quæ ad magnitudinis ordinem pri-
mum pertinent. Ex iis stella una signum tenet

Arietis; quæ sita est in extremo Fluvii, cuiusque curriculum vicinum est curriculo Canopi. in Tauro stella rubicunda existit ad Tauri oculum, quæ Debarân vocatur. in Geminis sita est Capella, stella subrufa; quæ fertur prope punctum verticale in climate quarto: item stella ista, quæ est in sinistro pede Orionis: & subrubicunda, quæ in humero ejusdem dextro: tum Syrius, qui Abor dicitur; & Canopus, una ex stellis asterismi Navis; quæ simul cum Sirio consistit in extremo Geminorum: ita ut ambo medium cœli transeant eodem tempore. in Cancro extat Procyon; quæ stella dicitur Gomeifa. in Leonis signo cor Leonis est; ac ipsum occupat zodiacum, Solis orbitem. in Virgine est Leonis cauda; quam Sarcam nuncupant. Libra spicam habet, quæ in manu sinistra Virginis: & stellam rubentem Arcturum; quæ decurrit prope capitâ nostri verticem: & quoq; stellam in lævo pede Centauri, qui asterismus Tolimân dicitur; eaque idem fere curriculum obtinet cum Canopo. in Sagittario continetur Vultur cadens; transiens ad capitâ verticem: in Aquario os Piscis notii; ejusdem fere paralleli cum Scorpionis cauda, quâ Xaulam nuncupant. Atq; hæ sunt stellarum cœli omnium maximæ.

C A P.

*Describuntur stellæ, quas Luna mansiones vocant,
numero viginti octo.*

Hic quoq; domicilia sive mansiones Lunæ suis explicemus nominibus; quibus eas insigniverunt Arabes:quia ipsas plerique homines ita cognoscunt.

Prima *Xartân* dicitur; sunt duæ stellæ in capite Arietis lucidæ & separatae:at cum borealiore quedam stella jungitur ipsâ minor.

i i. *Batyn*; quæ venter Arietis: sunt tres stellæ exiguae, invicem propinquæ.

i i i. *Tureija*, quam & Negmam dicunt; sex stellulæ simul junctæ.

i v. *Debarân*; quam suprà recensui inter stellas maximas: Arabes Fenîcam vocant. huic adstant minores quædam stellæ; quæ Calûsæ appellantur.

v. *Hacaa*; quæ caput Orionis; nimirum tres stellulæ invicem propinquæ.

vi. *Hanaa*, duæ stellæ ab invicem disjunctæ; quarum lucidior, quæ borealis est: ambæ inter pedes Geminorum.

vii. *Dirâa*, duæ stellæ clariores in capite Geminorum.

viii. *Netra*; quæ & os Leonis dicitur; est autem nebulosum quid exiguum, veluti nubis portio: stellæ sunt duæ exiguae, quæ in figuris Ptolemaicis referuntur ad corpus Cancri.

ix. *Tarfa*, stellæ duæ parvæ; quas Arabes appellant oculos Leonis.

x. *Gebha*, stellæ quatuor splendidæ, inter se sese inflexæ; quarum una est cor Leonis.

xi. *Zubra*, stellæ duæ splendidæ, sequentes cor Leonis; quas Arabes Charatanas vocant.

xii. *Sarfa*, stellæ illæ, quas existere diximus in Leonis cauda.

xiii. *Aurva*, stellæ quinque, referentes characterem Alif; quatuor dispositæ sunt in rectum, ab invicem separatae; una in flexu occidentem versus: suntque ipsæ sub asterismo Virginis.

xiv. *Semac'o-lasil*, (Latinis spica Virginis;) cuius meminimus inter stellas maximas.

xv. *Gafra*, tres stellæ exiguae ab invicem latius diductæ; quarum duæ sunt collocatae ante duas chelas Scorpionis.

xvi. *Zubaniae*, stellæ duæ ab invicem separatae; suntque lances Libræ.

xvii. *Acyl*, tres stellæ splendentes, positæ in recta linea.

xviii. *Cal.*

xviii. *Calbo-lacrab*, stella rubra, & fulgens; inter duas lucidas.

xix. *Xaula*, quæ est cauda Scorpionis; sunt duæ stellæ separatae, quarum altera est clara.

xx. *Naaime*, stellæ octo clariores; quarum quatuor in orbe Lacteo, & vocantur accedentes; quatuor extra eum, & dicuntur recedentes.

xxi. *Beleda*, spatiū cœli parvum; quod succedit Naâmis, stellis vacuum.

xxii. *Sado-ddabih*, duæ stellæ exiguae; earum borealiori prope adstat stella obscurior, quam Arabes Ovem nuncupant: atq; hinc illud nomen.

xxiii. *Sado-bula*, duæ parvæ stellæ ejusdem parallelī.

xxiv. *Sado-ssoid*, stellæ tres; quarum una splendida.

xxv. *Sado-lachbia*, tres stellæ, referentes figuram trianguli; in quarum medio consistit stella quarta.

xxvi. *Fargo-ddelu anterius*, stellæ duæ lucidæ, quarum borealior dicitur Equi scapula.

xxvii. *Fargo-ddelu posterius*, duæ stellæ lucide, & divisæ; quæ sequuntur præcedentes duas.

xxviii. *Batno-lhut*, hæ stellæ Piscis borealis sunt; quibus succedit Xartân.

C A P . XXI.

Definiuntur suis mensuris stellarum errantium & fixarum intervalla à terra.

Postquam stellarum, juxta suos ordines, numerum recensuimus; definiendæ sunt mensuræ, quibus ipsæ à terra distant. Ptolemæus quidem in libro suo exposuit, quanta sit distantia duntaxat Solis & Lunæ. neque compierimus quicquam ab illo proditum de distantiis siderum reliquorum: nisi quod docuerit, quantum diffideant centra orbium à centro terræ; quantique sint orbes Epicycli.

Quod si igitur ponamus distantiam Lunæ, respectu utriusque simul orbis, (eccentrici & epicycli) remotissimā esse eandem cum distantia Mercurii proxima: & eadem ratione utamur, ut diximus; procedentes similiter in Mercurio & Veneri: inveniemus summam Veneris in utroq; simul orbe distantiam æquari Solis distantiae minimæ, quam explicuit Ptolemæus. Cujus rei indicium ex eo capimus, quod inter orbes nihil est vacui. Deinde ita quoque procedemus in ceteris: donec pervenerimus ad stellarum fixarum orbem; cuius centrum idem est cum centro terræ. Atque propter ea

pterea stellarum fixarum distantiaæ perpetuò æquales sunt, nulli mutationi obnoxiae.

Constituerunt autem Ptolemæus atque alii sapientes terræ semidiametrum veluti mensuram, quâ metirentur stellarum distantias à centro terræ: & molem terræ constituere mensuram, quâ metirentur ipsa stellarum corpora. at jam antè diximus, cum de terræ dimensione ageremus, terræ diametrum esse milliarium 6500. quare ejus semidiometer, quâ æstimantur stellarum distantie, erit milliarium 3250.

Minimum quidem Lunæ à terra intervallum æquat semidiametrum terræ tricies ter, & ipsius semissem, semissisque partem decimam; id est, milliaria 109,037. Maxima verò Lunæ à terra distantia, quæ Mercurii est minima, comprehen-dit terræ semidiametrum sexagies quater cum parte sexta, hoc est, milliaria 208,542.

Longissima Mercurii à terræ distantia, quæ Veneris est proxima, complectitur partes, terræ semidimetro æquales, centum sexaginta septem, quæ sunt milliaria 542,750.

Distantia summa Veneris, quæ ima est Solis, æquatur semidiametro terræ millies centies vi- cies id est, milliaribus, 3,640,000.

L

Maxima

Maxima Solis distantia, quæ est Martis minima, terræ semidiametros habet mille ducentas & viginti; quæ faciunt millaria 3.965.000.

Distantia Martis remotissima, quæ Iovis proxima, partes continet, terræ semidiametro æquales, octies mille octingentas septuaginta sex; suntque milliar. 28.847.000.

Suprema Iovis distantia, quæ Saturni est infinita, constat semidiametris terræ quater & decies mille quadringtonitis quinque; hoc est 46.816.250 milliaribus.

Maxima Saturni distantia, quæ stellarum fixarum distantias æquatur, atque etiam diameter est orbis signiferi, semidiametros terræ complectitur vicies mille centum & decem; id est, millaria 65.357.500. quibus duplicatis, existet ipsa orbis diameter milliar. 130.715.000. hanc autem quantitate multiplicata per 3 $\frac{1}{2}$, erit orbis maximi circuitus millarium 410.818.570: & quantitas gradus cujusque millarium 1.141.162.

Maxima distans Veneris, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Mercurii, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Terræ, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Luna, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Solis, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Martis, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Iovis, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans Saturni, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

Maxima distans stellæ, dupla pars orbitæ eiusdem est 40.000.

C A P.

C A P. XXII.

*De siderum dimensione juxta mensuram
quantitatis terræ.*

Hicce stellarum distantiis insistentes, explicemus corporum earum mensuram. Ptolemæus quidem demonstravit etiam corporum duntaxat Solis & Lunæ magnitudinem; neque cæterorum dimensionem tradidit. ejus tamen rei cognitio elucescat ex ea ratione, quam ipse usurpavit in Sole & Luna.

Quod attinet ad Lunam, ostendit ille corporis Lunæ diametrum, ubi ipsa in orbis sui apogæo est, æqualem esse apparenti diametro Solis: hæc autem præ se fert gradus minuta $31\frac{1}{2}$. Itaque diameter Lunæ continebit partem unam, quales habet diameter terræ $3\frac{1}{2}$; & diameter Solis æquabit totas terræ diametros $5\frac{1}{2}$. Ac proinde quantitas corporis Lunaris erit quantitatis terræ pars tricesima nona: corporis verò Solaris quantitas æquabit quantitatem corporis terræ centies sexagies sexies.

Quod autem spectat ad stellarum reliquarum corpora, definiemus priùs quanta visui ipsa apparet, ubi medium obtinent distantiam; deinde

L 2

ipsam

ipsam declarabimus eorum magnitudinem. Mercurius quidem corporis sui diametrum visui offerit, prout observatum fuit, æqualem diametri Solaris parti decimæ quintæ; Venus suam parti ejus decimæ; Iupiter octavæ decimæ; & ex stellis fixis quindecim maximis singulæ parti vicesimæ. Ipsarum uero diametrorum quantitates ad terræ diametros sese ita habent: diameter corporis Mercurii habet partem unam ex diametri terræ partibus 18; diameter Veneris unam ex 3 $\frac{1}{2}$; diameter Martis æquat diametrum terræ unam & $\frac{1}{2}$; diameter Iovis continet diametros terræ 4 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{5}{16}$; diameter Saturni diametris terræ æquatur 4 $\frac{1}{2}$; diameter stellæ cujusque ex fixarum maximis facit terræ diametros 4 cum $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{4}$. Unde hæc stellarum existit magnitudo: Mercurii quidem moles est quasi pars una, quantis moles terræ constat vicies & bis mille; moles Veneris pars una est de terræ partibus 37: Mars autem æqualis est terræ dimidia & $\frac{1}{2}$; Iupiter æquat terram nonages quinquies; Saturnus nonages semel; fixarum maxima quæq; centies septies. Ex harum autem dimensione deducitur etiam dimensio reliquarum, diversæ enim earum magnitudines distributæ fuerunt in classes sex: ideoque earum, quæ secundæ

secundæ magnitudine, singulæ & quantur terræ nonagies; classis tertiaæ quælibet bis & septuagies; quartæ classis quæq; quinquagies quater; quintæ magnitudinis singulæ tricies ter: sextæ magnitudinis stellæ, scilicet minimæ omnium, quæ sub conspectum positæ mensuram admittunt, terram decies octies mole exæquant.

Atque ita ostensum fuit corporum, quæ in mundo existunt, maximum esse Solem; magnitudine secundas esse fixarū maximas quindecim: tertium esse corpus Iovis; quartum Saturni: quinti ordinis esse stellas fixas reliquas secundum suas classes: magnitudine sextum esse corpus Martis; septimum terræ; octavum Veneris; nonum Lunę; & decimum Mercurii.

C A P. XXIII.

Quid accidat discriminis inter stellam quamque & ejus in Zodiaco gradum, quando ipsa transit cœli medium, oritur, vel occidit.

Exponamus hoc loco, quæ contingat differentia inter stellæ transitum per meridianum, & inter transitum gradus longitudinis ejus in zodiaco: neque enim necesse est, ut quovis loco stella meridianum contingat simul cum suo gradu: at semper cum eo gradu

L 3 transit;

transit; qui gradus transitus dicitur. estque ille, quem designat circulus maximus, ductus per stellam, & æquinoctialis polum: circulus verò qui gradum longitudinis definit, ducitur per stellam & polum zodiaci. Ideoque cùm stella existit in principio Cancri vel Capricorni, gradus transitus erit idem qui gradus longitudinis in zodiaco: quia circulus, qui duobus illis locis determinat gradum transitus, convenit cum circulo qui definit gradum longitudinis; incedit enim ille per polos circuli utriusque.

At quando stella alibi consistit extra duo illa loca, gradus transitus à gradu longitudinis discrepat. namque medietate illâ, quæ est à principio Capricorni ad finem Geminorum, meridianum transeunte, polus zodiaci borealis extra meridianum vergit ad occidentem; & polus australis ad orientem. proinde quæcunque stellæ in hâc medietate existunt boreales zodiaco, ad medium cœli perveniunt ante suum gradum; & quæ australes, post eum.

Medietate autem illâ meridianum transeunte, quæ est à principio Cancri ad finem Sagittarii, polus zodiaci borealis extra meridianum consistit ad orientem; australis ad occidentem. & ideo
quæ-

quæcunque stellæ in hac medietate à zodiaco
vergunt ad boream, meridianum transeunt post
transitum sui gradus; & quæ ad austrū, ante eum.
Hæc autē differentia in iis stellis est maxima, quæ
principio Arietis & Libræ propinquæ existunt.
Ita etiam differt gradus ortus & occasus à gradu
longitudinis; præterquam in iis locis, quæ defi-
niemus. In eo tractu, qui climatis secundi medio
est borealior, differentia ad unam vergit partem;
sicuti ipsa gradus transitus differētia: quia zodiaci
polus in hisce climatibus semper eminet supra
terram. ideoq; si stella à zodiaco abest ad boream;
quocunq; loco fuerit, oritur ante ortū sui gradus,
& post eundem gradum occidit; si ad austrum
est, post illum oritur, & ante illum occidit. Hæc
autem differentia existit maxima, ad ortum qui-
dem in Ariete; ad occasum verò in Libra. Si stella
in principio Cancri vel Capricorni fuerit, utræq;
differentiæ in ortu & occasu æquantur.

At in eo tractu, qui ab æquatore extenditur us-
que ad secundi climatis medium, differentia con-
tingit bifariam: quia ibidem polus zodiaci bo-
reus non perpetuò apparet; sed ortum obtinet &
occasum. In æquatore quidem polus oritur & oc-
cidit cum principio Capricorni: at in locis ultra

æqua-

æquatorem ortu & occasu disc repat; nam ante principium Capricorni oritur, & post illud occidit; duorumq; graduum ortus & occasus distantiæ ab eodem Capricorni principio sunt æquales.

Proinde in locis hisce, siquidem polus zodiaci supra terram extat, res se ita habet, uti de alio tractu diximus: nempe quæcunque stellæ sunt boreales, oriuntur ante suum gradum; quæ australes, oriuntur post eum. similiter, quæ occidentium boreales, post gradum suum occidunt; quæ australes, ante eum. Si verò polus zodiaci sub terra latet, contrà accidit: quæcunque earum boreales sunt, post exortum gradus sui oriuntur; quæ australes, oriuntur ante eum: & pariter, quæcunque ex occidentibus sunt boreales, ante gradum suum occidunt; quæ australes, post eum. Si autem oritur stella cum ipso ortu poli, (quod non contingit, nisi in iis quæ sunt inter principium Libræ & finem Sagittarii, gradus ortus convenit cum ipso gradu longitudinis: ita quoque si stella occidat unà cum occasu poli, quod fieri nequit nisi in iis, quæ sunt inter principium Capricorni & finem Piscium,) gradus occidens idem est cum gradu longitudinis. quia horizon in utraque dispositione transit per polum zodiaci & per stellam.

C A P. XXIV.

*De stellarum habitu in oriente & occidente; eorumque
occultatione sub radiis Solis.*

Dicendum hoc loco, quî se planetæ ha-
beant in oriente & occidente, & quî
fulgore Solis occultentur. Cum itaque
motu suo Saturnus, Iupiter & Mars Sole tardiores
sint, contingit ut si illorum aliquis Solem præce-
dat, Sole ad ipsum appropinquante, vespertino
tempore conspicuus appareat in occidente; eôq;
occidentalis dicatur: donec cooperiatur radiis So-
lis. Quando verò Sol incessu planetis iisdem an-
tevertit; ipsi è radiis Solis egressi, tempore matu-
tino apparent in oriente: atque hinc orientales
nominantur. Ex hisce igitur planetis unusquisq;
occasum habet horis vespertinis; ortum vero
matutinis.

At Venus & Mercurius ortum atque occasum
sortiuntur & horis matutinis & vespertinis; quia
uterque cursu est velocior Sole. cum itaq; alteru-
ter prope Solem est, & cursu directus; prævertit
Solem, atque è radiis emergit: ac proinde in oc-
cidente contingit ortus ejus vespertinus: donec
attigerit digressionem à Sole maximam. tunc

M planeta

planeta motum remittit, atque sub radios Sola-
res revertitur; & eapropter in occidente obtinet
occasum vespertinum. cùm autem Sol à Venere
vel Mercurio longius abscessit, tunc ipsi ex ra-
diis rursus emergunt; atque in oriente ortum ob-
tinent matutinum: donec à Sole quam maximè
digressi cursum accelerent, & assequatur Solem:
ideoque in oriente contingit matutinus eorum
occasus.

Sed Luna, quia cursus celeritate Solem vincit,
& retrocursus expers est, Solem insequitur: &
propterea in oriente manè occidit. Solemque
transgreditur: atq; ita in occidente vesperi oritur.

Quod verò ad stellas fixas spectat; initio hujus
libri exposuimus ut se habeant illæ, quæ polo
septentrionali propinquæ sunt. hæ quidem in cli-
matibus septentrionalibus ortu carent; quantoq;
major est climatis in septentrionem distantia,
proindeq; poli supra horizontem elevatio magis
augetur, tanto plures ex iis stellis in illo clima-
te sunt, quibus nullus est occasus. tales in climate
quarto existunt Giudda, Farcadân & Benât-naax.
Ac similiter quæ hisce stellis ad meridiem oppo-
sitæ sunt, iis nullus omnino contingit ortus. Tum
etiam quæcunque ex stellis fixis occidunt in tra-
ctibus

Cibus ultra secundum clima sitis, & borealem à zodiaco latitudinem insigniorem obtinent, haud oculuntur radiis Solis; propterea quod super terram diutius morantur: & si quando Sol illarum gradū obtinet, ipsæ ante Solem oriuntur & post eum occidunt. si quidem stella consistit prope Cancri vel Capricorni principiū, æquali tempore & Solem in ortu præcedit, & eum in occasu con sequitur. Quæ verò stellæ fixæ existunt in zodiaco, aut prope eum ad utramvis partem; demerguntur sub radios Solares vesperi, & in oriente emergunt manè. sicuti in Saturno, Iove & Marte ostendimus.

Tempora autem per quæ sub radiis delitescunt, diversa sunt, pro corporum ipsarum magnitudine, & pro latitudinum diversitate. Si enim latitudo sit borealis; tempus occultationis brevius; si australis, tempus est longius. Quæ à zodiaco ad austrum distat longius, ei tempus moræ supra horizontem est brevius; & si quando Sol versatur in ejus gradu, oritur post Solem, & occidit ante eum: ita ut ortum & occasum sortiatur interdiu, qui conspici nequeant. quantoque distantia illa à zodiaco in austrum major est, tanto occultationis tempus est prolixius. Ita se Canopus habet:

bet: namque in principio climatis quarti sub Sole latet mensibus quinque; ortumque & occasum obtinet interdiu, ita ut sub aspectum non cadat. Quod si stella principio Canceris & Capricorni propinqua sit; eodem etiam tempore à Sole in ortu retro linquitur, quo eundem in occasu antevertit: ut quoque idem Canopus, utpote qui existit in fine Geminorum.

Mansionibus Lunæ circa Solis ortum peculiaris convenit exortus & occasus. exortus quidem, cum stella è radiis Solis profert se; ita ut manè in oriente emergat ante ortum Solis. occasus vero, cum stella, exorienti stellæ opposita, in occidente eodem tempore absconditur. Ita prima Lunæ mansio, quæ Xartân dicta, exoritur die decimo à fine mensis Nisân; eique opposita, quæ est Gafra, occidit. Deinde post ternos quosq; dies exoritur mansio alia, & opposita occidit, usque ad finem anni.

C A P . XXV.

De novarum Luna phaseon exortu; deque Lunaris luminis incremento ac decremente.

Postquam diximus, quomodo stellæ apparet in oriente & occidente, exponamus quid accidat in Lunæ novæ & cæterorum quinque

quinque siderum emersu è radiis Solis. A Luna itaque initium capescentes dicimus, Lunam collustrari ab incidente Solis lumine; ita ut dimidia corporis ejus superficies, quæ obversa Soli, fulgeat. Quando igitur unà cum Sole est, pars ejus obscura nobis opponitur; quoniam ipsa existit inter terram & Solem. Cùmque progressa, Solem prævertit orientem versus, lumen in ipsa transfertur, pro digressus ipsius quantitate; ita ut lumen ab orientali ejus parte recedat, & ad occidentalem accrescat; atq; tunc ad nos reflectatur, figuram visui exhibens arcui similem.

Cum quidem Sol versatur in duobus signis Ariete & Piscibus, tunc fulgoris arcuati extrema duo existunt in situ fere parallelo ad horizontem; quia tunc zodiacus horizonti rectè insistit. cum verò versatur Sol in Virgine & Libra, novæ Lunæ fulgor videtur rectè situs; quia tunc zodiacus inclinationem ad horizontem obtinet maximam.

Quantumque augetur Lunæ à Sole distantia, tantum augetur illa luminis portio, quæ in Lunæ corpore secundùm ipsius progressum apparet: donec ex adverso opponatur Soli. tunc dimidia ejus pars tota fulgens nobis obvertitur; quoniam tunc inter Solem & Lunam intercedit terra. De-

inde ipsa oppositum illum locum transit, & Soli ad orientem appropinquat: ideoque dimidius ejus orbis ad nos convertitur secundum progressus item quantitatem; & pars altera illustrata ad occidentem nobis subducitur: donec ipsa in oriente radiis Solaribus tegatur. Tum prævertit Solem; & in occidente emergit novum fulgorem efferens.

Quando autem Luna existit cursu velocior, ejusque latitudo à zodiaco borealis, parum commoratur sub Solis radiis, quo in conspectum veniat: & fieri potest, ut ad finem mensis cernatur manè in oriente, & postridie conspiciantur nova in occidente: præsertim ubi illa signa occupat, quæ in sphæra recta oriuntur tardè; ut sunt Gemini, Cancer Sagittarius, & Capricornus. nam simul sumptum utrumque tempus, quod horum signorum ortui & occasui competit in climatis boreis, exuperat tempus illud, quod convenient ortui & occasui reliquorum.

At quando Luna incedit tardior, & latitudinem obtinet australem, trahit moram sub Solis radiis longiorem: fierique potest, ut per triduum abscondatur, neque appareat; & fulgore micare incipiat die quarto: præsertim ubi in illis versatur signis, quæ in sphæra recta celeriorem habent ortum:

tum : ut sunt Aries, Pisces, Virgo & Libra. nam utrumque tempus & ortus & occasus, quod hisce signis in climatibus boreis convenit, conjunctim sumptū deficit à tempore ortus & occasus signorum reliquorum. at signa quatuor cætera, quæ sunt Taurus, Leo, Scorpio & Aquarius, tempora ortus & occasus, simul conjuncta, habent prope æqualia suis in zodiaco partibus.

Quantitas autem distantiae ejus à Sole, quâ definiatur ipsius phasis, (& quidem juxta medium modum, quem usurpant tabularum cœlestium auctores in quarto climate,) talis est, ut inter Lunam & Solem in ortu & occasu intercedant duodecim gradus æquinoctialis. contingit tamen primam phasim cerni ex intervallo minore & maiore. Ex minore quidem, cum in iis versatur signis, quæ celeriter oriuntur & occidunt, & Lunæ à Sole distantia in partibus zodiaci magna est; ac proinde lumen in ejus corpore est diffusius: tunc enim conspici potest proprius, quam è duodecim graduum intervallo. è majore autem intervallo cernitur, quando ipsa existit in signis, quæ oriuntur occiduntque tardè, & Lunæ à Sole distantia est exigua: tunc enim videri nequit nisi è spatio, quod gradus duodecim excedat.

Hujus

Hujus rei proponeamus exemplum: Cum Luna, existens in Solis orbita, in climate quarto primùm nasci cernitur; atque inter stellas ambas circa occasum intercedunt conversionis mundanæ gradus duodecim, dicimus inter eam & Solem intercedere de gradibus zodiaci, si quidem ipsa fuerit in Libra, gradus octodecim; si in Ariete, gradus decem. atque ita intervalla ambo in mora æquantur; at ipsum lumen in corpore Lunæ differt fere juxta duplum. In eo etiam climate accedit, ut conversionis mundanæ duodenii gradus distantiam inter Solem & horizontem circa Arietem & Libram majorem efficiant, quam circa Cancrum & Capricornum; propter arctatas duabus hisce in locis partes conversionis, propterque motus Solaris in iis traditatem.

C A P. XXVI.

De quinque siderum exortu è radiis Solis.

Siderum vagorum quinque tria superiora, scilicet Saturnus, Iupiter & Mars, conjunguntur Soli, quando in superiore existunt epicycli parte: atque ideo eorum per signa progressus, & corporum quoque quantitates parum differunt; tempusq; moræ sub radiis Solis existit

existit longius & brevius , solummodo pro diversa signorum ascensione , diversaque planetæ ipsius latitudine.

At Venus & Mercurius cum Sole conjunguntur in superiori parte epicycli aliquando directi , & in inferiore ejus parte aliquando retrogradi : ac proinde morè sub radiis Solaribus differentia major est ; propter differentiam latitudinis , differentiam incessus stellæ , & differentiam magnitudinis . Veneri quidem ex differentia signorum , differentia que quantitatis latitudinis suæ duntaxat (citra differentias reliquas) colligitur accidere , ut (suppositâ summâ latitudine , quam adhibuit Ptolemaeus in magno opere , graduum 6 & $\frac{1}{2}$) quando in Piscibus retrograda est in climate quarto , se abdat sub Solis radiis tantum per biduum ; donec existat in gradu Solis : ac proinde eo die conspicitur in oriente ; utpote disjuncta à Sole . at cum ipsa est in Virgine , sub radiis Solis commoratur dies sexdecim , antequam in oriente appareat . Mercurio ex duabus illis simul differentiis etiam accidit , ut summam à Sole distantiam obtineat , nempe ad lineam quæ epicyclum contingit , nec tamen ullo pacto conspicuus sit : quæ quidem distantia ecliptica dicitur . hęc ipsa stelle distatia , si quando

N

vesper-

vespertina, in Scorpione erit; si quando matutina, in Tauro.

Distantiæ autem, quæ phasim determinent ratione mediâ, prout eâ utuntur auctores tabularum cœlestium, hæ sunt; quando planeta à Sole abest in ortu & occasu (ita ut & in Lunæ phasi præscriptum fuit) conversionis mundanæ gradibus, Saturnus 15; Iupiter 11; Mars 17; Venus 7; Mercurius 13.

At verò juxta modum, quem Ptolemæus usurpavit in hisce stellis tantùm, (neq; enim id ipsum demonstravit in Luna) distantia illæ sumuntur inter Solem & horizontem eo tempore, quo stella supra horizontem subit; quia hoc solum intervallum circa horizontes definit lumen Solis (illud nempe quod initio noctis crepusculum, & in fine noctis diluculum nominant) in omnibus zodiaci partibus secundùm unam mensuram. Hunc autem modum ipse instituit in climate medio, nimirum quarto, & existente Sole in Geminis & Cancro; propterea quod eo tempore zodiaci ad horizontem inclinatio mediocris existit, & aër clarior atque subtilior est. comperitque Saturno quidem convenire partes 11; Iovi 10; Marti 11 $\frac{1}{2}$; Veneri 15; Mercurio 10. Atque ita, quoad

quoad satis est , diximus de siderum diverso e-
mersu è radiis Solis.

C A P. XXVII.

*Quæ parallaxis seu aspectus differentia accidat
Lunæ, ceterisque stellis vicinis terre.*

Hicce præmissis, ostendamus quæ circa So-
lem & stellas inferiores contingat visus
aberratio ab ipsarum locis veris in orbe
signifero. Suppono itaque, si concipiamus re-
ctam lineam à terræ centro (quod & centrum est
orbis signiferi) ad centrum corporis Lunæ aut
planetæ alterius ; eam ad orbem signiferum pro-
ductam incidere in punctum , quo ad orbem il-
lum stella secundùm longitudinem & latitudi-
nem revera pertinet. Quare cùm stella vertici ca-
pitis insistit, linea hæc est una & eadem cum illa,
quæ à loco aspectus nostri ducitur; efficitque, ut
conspiciamus stellam loco suo , quem in orbe
signifero revera occupat. Cùm verò stella non
est ad verticem, duæ illæ lineaæ sunt diversæ , &
intersecant se in stellæ centro ; & linea , quæ à
loco visus ad eam exporrigitur, conspectum no-
strum defigit in locum , qui diversus est à vero
loco stellæ in signifero : ac proinde differentia

inter utrumque locum, deviatio visus seu paralaxis dicitur. estque ea arcus circuli maximi per punctum verticale & stellam transeuntis: qui circulus est altitudinis. Proinde stella à vertice aberit , secundum visionem longius quam sit revera, arcus illius portione. Itaque ex eo quod de parallaxi diximus , quòdque ejus initium fit à verticali punto, manifestum est parallaxim fieri maximamstellâ existente circa horizontem ; propterea quòd deflexus illius angulus tunc major est, quam in aliâ quacunque cœli parte.

In superioribus quidem stellis , quæ nempe consistunt supra Solem , de hac parallaxi haud quicquam deprehenditur; quod ulla tenus queat sensu dignosci. Quod quidem ad Solem spectat; neque ejus etiam parallaxis observando animadvertisit. at cum subducitur ex prævia Solis distantia à terra; summum ejus, quod prope horizontem colligitur, tria sunt minuta. In Venere autem, Mercurio, & Luna parallaxis sensibilis est. præsertim in Luna: nam circa horizontem, si fuerit in orbium suorum perigæo , parallaxis illi accidit unius gradus & 44 minutorum; sin in orbium suorum apogæo fuerit, minutorum 54.

tempo-



temporibus verò eclipsium accidere illi colligimus parallaxin gradus 1, & minutorum 4.

Ut igitur definiamus, quid parallaxeos contingat in motu secundùm longitudinem, quidq; in motu secundùm latitudinem, ita habendum.

Siquando zodiacus, interea dum stella cernitur, fecat verticem, (in eo climate, ubi hoc fieri queat,) ipsaque stella consistit in zodiaco; arcus parallaxeos erit zodiaci pars: quia idem zodiacus tunc vicem explet circuli altitudinis. ideoque parallaxis tota erit in longitudine, neque de ea quicquam in latitudinem incidet. parallaxis autem hæc à loco vero in eam verget partem, in qua extiterit ipsa stella: adeò ut, si stella ad orientem sita fuerit; videamus ipsam consistere ante locum suum verum; si ad occidentem, videamus eam ponè locum suum.

Sed quando zodiacus ad hunc modum, quem diximus, se non habet, & circulus polos zodiaci & stellam transiens etiam incedit per verticem; dum ad stellam visus convertitur, arcus parallexeos quoque erit circuli ejusdem pars: quia idem circulus tunc loco est circuli altitudinis. ideoque parallaxis tota latitudinis fuerit; neque ejus quicquam spectarit ad longitudinem. eaque in latitudine



tudine parallaxis etiam in eam deflectet partem, ubi sita fuerit ipsa stella : ita ut , si à vertice ad septentrionem vergat, contueamur ipsam à loco suo vero septentrionalem; si à vertice ad austrum, eam à vero suo loco conspiciamus australem.

Quando horum circulorum neuter (scilicet nec zodiacus , nec illi transpolaris) vertici occurrit eo tempore, quo stella cernitur ; parallaxis erit divisa: parte ejus ad longitudinem spectante, parte ad latitudinem. Et similiter, quæ in longitudine parallaxis est, in eam partem verget in quam circulus zodiaco transpolaris deviat à vertice, ortum versus vel occasum. Quæ autem in latitudine parallaxis est, ad eandem inclinat plagam ad quam zodiacus à vertice deflectit , in septentrionem vel meridiem. Atque ita se habet quæ contingit prospectus differentia.

C A P. XXVIII.

De Eclipse Lunæ.

N præcedentibus ostensum à nobis fuit Lunam mutuari lumen à Sole; ac dimidiam corporis ejus superficiem, quæ Soli obversa, esse fulgidam : ac proinde in ejus cum Sole congressu nobis objici dimidium orbē corporis

poris opacum ; cùm autem Solem ex adverso adspicit , tunc opponi nobis dimidium orbem ejus lucidum. Hic verò addo , Solem illustrare quoque dimidium globum terræ : adeò ut lumen in terræ superficie circumagatur circumactu Solis ab ortu in occasum; pariterque eandem superficiem ambiat caligo. Et quia Sol terrâ est major, necesse est terræ umbram per aëra protendi coni effigie ; & in rotunditate attenuari, donec deficiat: lineam verò, quæ coni umbrosi axis est, in eclipticæ jacere plano, semperq; dirigi in punctum gradui Solis obversum.

Umbræ quidem à terræ superficie ad finem usque longitudo, juxta Ptolemæi dimensionem, æquat dimidiā diametrum terræ ducenties sexagesies octies ; & rotunditatis diameter eo loco, quem Luna in oppositione transit, continet tantas partes $2 \frac{1}{2}$, quanta est ipsa Lunæ diameter.

Cùm igitur Luna ad caput vel caudam Draconis accesserit expers tantæ latitudinis , quantâ opus est ut terræ umbra removeatur ad septentrionem vel austrum , ipsa quidem per umbram incedet, terrâ adimente ipsi lumen Solis: ideoque Luna deficere cernitur , usque dum permearit umbram: hæc enim movetur motu Solis, quem Luna

Luna antevertit; ita ut à parte orientali prodeat, allabente ad ipsam Solis lumine.

Cùm verò Luna tempore oppositionis constitut in ipso Capitis vcl Caudæ puncto; ita ut nulla prorsus illi supersit latitudo: corporis ejus centrum feretur per centrum umbræ eo loco in orbem ambientis: estque illa eclipsium maxima & diutissima.

At si Luna tempore oppositionis fuerit latitudine prædita, defectio ejus non erit maxima. Nam si quidem latitudo par fuerit excessui semidiometri umbræ supra semidiometrum Lunæ; corpus ejus in transitu circulum umbræ contingenget intrinsecus: ac proinde tota obscurabitur; at citramoram. Siquando autem latitudo ejus fuerit umbræ semidiometro æqualis; corporis ejus centrum in transitu suo stringet circulum umbræ: ac proinde deficiet Lunæ dimidium; eaque obscurata pars in latus verget contrarium, atque latitudo. Quòd si denique latitudo Lunæ æqualis extiterit semidiometris & Lunæ & umbræ simul; corpus ejus in transitu circulum umbræ tanget extrinsecus: ideoque ab eclipsi immunis erit. Atque hæc defectus Lunaris causa est.

C A P. XXIX.

De eclipsi Solis.

Quod ad Solis eclipsin attinet; cum Luna Soli
conjugitur juxta caput vel caudam Dra-
conis, (ita ut careat latitudine, quâ à Solis tra-
mite deviet,) suo inter visum nostrum & Solem
occursu Solem nobis abscondet: qui capropter
obscurari videbitur.

Explicandum verò nobis, quæ hîc parallaxis
accidat. quamobrem dico; cum Solis & Lunæ
congressus incidit in verum locum Capitis &
Caudæ, atque etiam in verticale cœli punctum;
amborum planetarum centra simul existere in ea
linea, quæ à loco visus ad ipsos ducitur: quia nulla
tunc est Lunæ latitudo. ideoq; necesse est in ejus-
modi statu deficere totum corpus Solis.

Quod si conjunctio, quæ fit in Capite & Cauda
précisè, non extiterit super verticem: non eveniet
quod retulimus; propter contingentem tunc pa-
rallaxim. Illa autem parallaxis fiet, prout suprà di-
ximus, ad tres diveras partes: scil. aut in longitu-
dine duntaxat: & tum conjunctio visa discrepabit
à vera; at visa latitudo cum vera congruet. aut in

O sola

sola latitudine: & tum conjunctio apparenſ erit eadem, quæ vera; at apparenſ latitudo à vera diſſeret. aut in longitudine & latitudine ſimul: & tunc conjunctio & latitudo viſæ erunt diuersæ à conjuſtione & latitudine veris.

Ideoq; cùm ſecundūm adſpectum conjunctio fit, & Lunæ à zodiaco latitudo parallaxim habet in partem contrariam, atque conjunctio; ſi qui- dem latitudo illa ejusque parallaxis ad duas adverſas partes æquentur, latitudo Lunæ nulla viſui apparebit, centrumque ejus, & centrum Sōlis conſiſtent in illa linea, quæ à loco viſus duci- tur. ideoque Luna rursus univerſum occultabit Solem.

Cùm autem in eodem ſtatū circulus, per po- lum zodiaci & Lunam transiens, exiſtit ſuper ver- ticem, erit conjunctio apparenſ eadem atque vera. Si autem circulus ille ſe aliter habeat, con- junctio apparenſ diſſidebit à vera: fietque ut Lu- na Soli congruat vel ante congreſſuſ veri horam, vel poſt eandem.

Si parallaxis longitudinis fiat ad orientem ver- ſus, coitus apparenſ ante verum continget; ſi ad occidentem, poſt verum.

At ſi latitudo ejusq; parallaxis fuerint ineqüales; amba-

ambarum differentia erit ipsa Lunæ latitudo apparens. at si latitudo & parallaxis ad unam partem fuerint, latitudinem apparentem conflabunt ambæ simul additæ.

Si quidem latitudo visa minorsit dimidiâ diametro Solis, dimidiâque diametro Lunæ simul sumptis; tunc Luna obscurabit partem Solis: eaque pars eclipsin passa æquabit latitudinis deficitum ab utriusq; illius diametri medietate. hæc autem eclipsis Solis incidet in eandem partem, in quam verget latitudo visa.

Cùm latitudo dimidium diametrorum æquat, Luna transibit Solem stringendo tantum; neque de eo ullam obumbrabit partem.

At verò si quando Sol deliquio totus afficitur, haud trahit moram; ita ut Luna facit: propterea quod corpus Lunæ apparet visui propemodum æquale corpori Solis.

Atque ita ex iis quæ dicta sunt liquet, deficiens Lunæ obscurationem & moram eadē esse quantitate apud omnes; qui eam quocunque terræ tractu conspiciunt: sed eclipsin Solis se aliter habere; propter ea, quæ in parallaxi eveniunt ob locorum differentiam, è quibus hæc eclipsis certatur.

C A P. XXX.

Quantum dissideant eclipsium Solarium & Lunarium tempora.

O Portet autem declarare, quanto temporis intervallo eclipsis proximè succedere eclipsi possit; & quidem juxta rationem medium.

Minimum quidem, quod inter eclipses binas sive Solares sive Lunares intercedit, spatium est sex mensium Lunarium.

Quandoque tamen fieri potest, ut inter binas eclipses Solares aut Lunares interveniant tantùm menses quinque; nimirum si quando contingit menses esse longiores: quales existunt, cùm Sol utrinvis ab orbis sui perigæo versatur in motu suo celeriore; Luna autem in tardiore. In binis quidem Lunæ eclipsibus tantundem refert, ad utram partem ab ecliptica latitudo vergat: at in binis eclipsibus Solis necesse est utrobique Lunæ latitudinem existere ad boream. utique ad hanc partem, & hisce causis concurrentibus fieri potest, ut inter eclipses binas interjiciantur menses Lunares duntaxat quinque.

Ut autem inter eclipses binas intercedant menses septem, oportet menses illos esse breviores;

nempe